AUTHOR:

LINDERBAUER, BENNO

TITLE:

DE VERBORUM MUTUATORUM ET PEREGRINORUM APUD...

PLACE:

[METTEN]

DATE:

[1893]

Master Negative #

93-81351-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Linderbauer, Benno,
De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione, pars posterior... von P. Benno Linderbauer... [Metten, 1893]
64 p. 27 cm.

"Beilage zum Jahresberichte des Humanistischen gymnasiums Metten für das jahr 1892/93."

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 16x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-6-93 INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem

usu et compensatione.

Pars posterior.

Beilage zum Jahresberichte
des humanistischen Gymnasiums Metten
für das Jahr 1892/93.

Von
P. Benno Linderbauer, O. S. B.,
Gymnasial-Professor.

Pars altera.

De verborum peregrinorum apud Ciceronem compensatione.

Quoniam de verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu disputavimus, uberrimus restat locus de ea ratione, quam secutus est Cicero in verbis alienis compensandis vel interpretandis. Hunc autem praecipue fructum ex ea quaestione investiganda puto redundaturum, ut, quam bene meruerit de lingua Latina, multo clarius, quam ex parte priore, appareat.

Ac primum quidem, quas ipse Cicero de ea re constituerit rationes, breviter exponamus. Imprimis mirum esse videtur, quam multis locis, quod nova nomina fabricetur, se excuset: unde et nova verba difficillime tunc esse probata colligitur et prope nimia diligentia eum studuisse sermonis sinceritati. Or. 62, 211: „neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum aut a simili mutuari.“ n. d 1, 17, 44: „sunt enim rebus novis nova nomina ponenda.“ Ac. pr. 2, 6, 17: „fabricemur, si opus erit, verba.“ Ac. post. 1, 6, 24 postquam inauditum verbum „qualitas“ tentavit, haec addit: „dabitis enim, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec tamdiu tractantur, utamur verbis interdum inauditis.“ paulo post 7, 27: „faciemus enim tractando usitatius hoc (verbum) et tritius.“ fin. 3, 15, 51 Catonem haec facit dicentem: „illud, quod Zeno *προηγμένον* nominavit, cum uteretur in lingua copiosa

factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur." Maxime vero verborum novorum usum excusat fin. 3, 2, 5: „Quodsi in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur: quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?" Ac. post. 1, 7, 25: „aut nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda .... tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, sed etiam verborum. Audebimus ergo novis verbis uti ... si necesse erit." Ac quantum ea re omnibus se praestitisse confideret, non semel Cicero est professus. cf. Ac. post. 1, 7, 25 l. modo allatum, ubi etsi de Varrone id dici fingit, tamen se ipsum certe significat et de or. 1, 34, 155: Quibus (Graecis orationibus) lectis hoc adsequebar, ut, cum ea, quae legeram Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.

Sed Cicero quamquam exercitationibus plurimis bene paratus ad philosophiam Graecam Latinis litteris illustrandam accessit, tamen, ut erat orator, multo minus accuratam et exquisitam philosophiae subtilitatem, quam orationis elegantiam est secutus. Itaque duas leges hac in re et ipse praescripsit et diligenter observavit, quarum prior est, ut res plane intellegatur; quare saepe unum verbum pluribus Latinis est interpretatus, ita ut verbum Graecum explanaret potius quam transferret. fin. 3, 4, 14: „unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum — erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus." ibd. 15: „si Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, cum sit verbum, quod idem declaret, magis usitatum; equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere." ibd. 16, 52: „re intellecta in verborum usu faciles esse debemus" Top. 8, 35: „si intellegitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine." cf. opt. gen. 14: „nec converti ut interpres, sed ut orator, sen-

tentiis iisdem et earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis, in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omne verborum vimque servavi."

Norma altera ea est, ut verborum suavitatem studiose quaerat; quare ea verba, quae a dicendi consuetudine magis aliena esse videbantur, aut omnino reiecit aut, cum ad rem accuratius significandam prorsus necessaria erant, multis verbis excusavit. Top. 7, 30: „formae sunt, quas Graeci ἰδέας vocant: nostri ... species appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere: ... at formis et formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror neglegendam." ibid. 8, 35: „quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes genus hoc notationem appellamus" ibid: 27, 92: „tertia, quamvis molestum hoc nomen sit, iuridicialis vocetur." fin. 4, 26, 72: Graece προηγμένα, Latine autem producta, sed praeposita aut praecipua malo, sic tolerabilius et mollius. Vocabulum „qualitas" nimis quidem durum ei videbatur, sed cum aliud, quod significaret Graecorum ποιότητα, prorsus deesset, interdum usurpavit longa addita excusatione. cf. Ac. post. 1, 7, 27: „faciamus enim tractando usitatius hoc et tritius. Similiter fin. 5, 5, 17, postquam pluribus verbis Latinis interpretatus est κατάληψιν, addit: „si haec verba aut minus placent, aut minus intelleguntur, καταλήψεις appellemus licet." Plerumque ea ipsa verba, quae cum anxietate quadam fabricatus est, cum aptissima essent ad res breviter et accurate declarandas, a posterioribus philosophis sunt recepta. Saepe etiam, praesertim ubi Graecum verbum ipsum non addit, verbum inusitatum primum excusat, cum addit: „ut ita dicam," vel similia. Ita fin. 2, 4, 11: „ut ita dicam indolentia (= ἀναλγησία)."*) Excusationis gratia eiu modi formulas addi ipse dicit Cic. de or. 3, 41, 165: Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est praeposito saepe verbo: ut si olim M. Catone mortuo, „pupillum" senatum

---

*) Cf. Lael. 14, 49: „vel, ut ita dicam, redamare".

quis relictum diceret, paullo durius: sin, „ut ita dicam, pupillum", aliquanto mitius.

His universis rationibus praemissis, ad disputationem ipsam de verborum peregrinorum interpretatione transeamus. In hac vero parte non librorum seriem, sed rerum ordinem sequemur, quo clarius, quid quoque in genere praestiterit Cicero, cognoscatur; ita tamen, ut temporum series non neglegatur, ut, quomodo Cicero in interpretandis Graecis profecerit, possit colligi.

Cap. I. Rhetorica.

§ 1. De rhetorica universa.

Inter omnes constat Romanos, quae erat eorum natura atque indoles, plurimum valuisse facundia. Ac cum dicendi facultas ad reipublicae administrationem omnesque actiones civiles utilissima esse videretur, hanc maxime disciplinam dignam esse arbitrabantur, quam usu et exercitatione perciperent adolescentes, qui ad rempublicam essent accessuri. Nihilo minus diutissime Romani satis habebant civium animos capere nativa quadam atque incondita dicendi gravitate et ab huius artis via ac ratione prorsus erant alieni.*) Itaque mirum non est rhetoricam ipsam totam deberi Graecis, et consentaneum est verbo „rhetoris" nunquam Ciceronem significare oratorem, sed magistrum eloquentiae, velut de or. 1, 18, 84: „qui rhetores nominarentur et qui praecepta dicendi traderent." or. 3, 12. 5, 17. 9, 31. 13, 42 plurimisque aliis locis. Interdum huic verbo contemptionis quaedam nota adspersa est, cum nimis artificiosa quorundam praecepta perstringit. Eodem modo adi. „rhetoricus" nunquam utitur pro v. „oratorius"; semper enim dicit: „facultas, vis oratoria vel dicendi", sed „more rhetorico" de or. 1, 29, 133. Quamquam vero vocabulum *rhetorica* (modo rhetorica, orum, modo rhetorica, ae) Cicero ipse licere usurpari affirmat, quod iamdiu tritum esset et usitatum, tamen haud ita multis locis eo nomine utitur, quibus omnibus, ut ipse ait de inv. 1, 5, 6, artificiosa eloquentia significatur. Atque etiam libros, quibus rhetoricae praecepta traduntur, quae Graece dicuntur *τέχναι*, Cicero interpretatus est voc. „*artes*" cf. inv. 2, 2, 4. 3, 8. de or. 1,

* De or. 1, 18, 83: „hos quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat (Mnesarchus) nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata."

20, 91 (scriptor artis: *τεχνογράφος*), Brut. 12, 46 (artem et praecepta conscripsisse).

Inde ab Aristotele pervulgata erat trium dicendi generum distinctio: *genus iudiciale (γένος δικανικόν)*, *genus deliberativum (γένος συμβουλευτικόν)*, *genus demonstrativum (γένος ἐπιδεικτικὸν* vel *πανηγυρικὸν* vel *ἐγκωμιαστικόν)*. Hanc divisionem Cicero assumpsit ab auctore rhetor. ad Herenn. (1, 2, 2), eamque, etsi non plane accurata esse videbatur, tamen plerumque retinuit; sed non semper eisdem verbis, quae posteriores scriptores ut propria solent usurpare, eorum generum nomina interpretatur. Inv. 1, 6, 8 ea vocabula, quae supra attulimus, inveniuntur. In posterioribus libris varia nomina usurpat: Top. 24, 91: tria sunt genera: iudicii, deliberationis, *laudationis*. or. part. 20, 70: unum laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum, 21, 70 primum genus interpretatur: laudandi vituperandique principia. 24, 85: (secundum) genus constat ex suasione et dissuasione *(παραινετική, ἀποτροπή)*; 28, 98: laudationis et *suasionis* locos. Cui divisioni similis est alia partitio or. part. 26, 93: causarum sunt aliae, quae ipsae conficiunt *(πρακτικαί)*, aliae, quae vim aliquam ad conficiendum afferunt; itaque illae superiores conficientes vocentur. Quomodo cum Hermagora a simplici Aristotelis divisione recesserit, ex l. inv. 1, 9, 12 colligitur, ubi quattuor partes generali constitutioni (*ποιότης*, de qua uberius dicendum erit infra): deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem supponit. De or. 2, 10, 43 haec genera magis explicat, quam interpretatur: „ea mihi videntur aut *in lite oranda* aut *in consilio dando* esse posita. Nam illud tertium, quod .... Aristoteles, qui haec maxime illustravit, adiunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium. Quidnam? ..... an laudationes? id enim video poni genus tertium.“ Brut. 83, 287 *ἐναγώνιον γένος* interpretatur: „hoc forense *concertatorium* iudiciale non tractavit genus.“

Hoc loco semel moneatur Ciceronem in libris de inventione auctorem rhetoricae ad Herennium secutum saepe multo liberius neque ulla excusatione neque interpretatione Graeca addita uti eiusmodi verbis, ad Graecorum vocabula artis rhetoricae propria transferenda, quam in libris posterioribus. E contrario in his plerumque varietatem interpretationum quaerit ac suavitatem, ita

ut multa verba, a Cicerone in illis libris usurpata ac postea reiecta, in posteriorum rhetorum usum abierint.

Similiter eloquentiae partes inv. 1, 7. 9 rhetorum consuetudinem secutus appellat: „inventionem *(εὕρεσιν)*, dispositionem *(τάξιν)*, elocutionem *(φράσιν* vel *λέξιν)*, memoriam *(μνήμην)*, pronuntiationem *(ὑπόκρισιν)*. de or. 1, 42, 187 has partes ita significat: „excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere.“

Quoniam haec de rhetorica universa disseruimus, de singulis deinceps locis uberius est disputandum.

§ 2. De inventione.

Materia ipsa, unde oratio depromitur, Graece dicitur *ὕλη*; hanc Cicero inv. 1, 6, 8 l. sup. allato appellat materiam; ibid. 24, 34: „quandam *silvam atque materiam*.“ or. 3, 12: quasi silva dicendi (quibus particulis additis v. silvae hac vi praeditum nondum satis fuisse usitatum significat). cf. de or. 2, 15, 65: illa infinita silva. ibd. 3, 24, 93: rerum est silva magna. ibd. 30, 118.

Materia autem „dividitur in *quaestionem* et *causam*“ de inv. 1, 6, 8. Quam distinctionem ab Hermagora assumptam omnes rhetores posteriores retinuerunt, sed tam spinose atque argute ab eloquentiae magistris is locus est pertractatus, ut Cicero ipse haud raro Graecorum rhetorum doctrinam perverse intellexerit multique in eius libris loci aut aperte inter se discrepent aut nullo prorsus modo recte possint explicari.*) Nos vero, cum non versemur in arte eius rhetorica iudicanda, his difficultatibus dirimendis facile possumus supersedere. Inv. 1, 6, 8 neque excusatione adiuncta neque Graecis vocabulis additis simpliciter dicit: „Hermagoras oratoris materiam in causam et in quaestionem dividit (interpretatur *θέσιν* et *ὑπόθεσιν*).“ In posterioribus libris eam rem accuratius atque clarius studuit illustrare variis usus interpretationibus. Top. 21, 79: „quaestionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum; definitum est, quod *ὑπόθεσιν* Graeci, nos causam; infinitum, quod *θέσιν* illi appellant, nos *propositum* possumus nominare.“ Apparet igitur hoc v. propositum, quod ibd. 24, 90 usurpat sine

*) Cf. Volkmann Rich., die Rhetorik der Griechen und Römer, in syst. Uebersicht dargestellt. 2. Aufl. Leipzig 1885; p. 52, 102 et multis al. l.

explicatione, a Cicerone hac significatione esse novatum. Cf. or. part. 18, 61: „duo sunt quaestionum genera, quorum alterum causam appello, alterum propositum voco.“ Hoc verbum, quod proxime accedit ad Graecum, anteposuisse videtur aliis vocabulis, quae interdum varietatis causa usurpat. de or. 3, 28, 109 ea appellatur *quasi proposita consultatio:* cf. or. part. 1, 4: infinita, quam *consultationem* appello. Minus apte atque obscurius or. 14, 46 et 36, 126 ut supra inv 1, 6, 8 id quaestionum genus, quod Graeci appellabant *θέσιν*, sensu angustiore appellat *quaestionem*. cf. Brut. 93, 322: a propria ac definita disputatione hominis ac temporis *ad communem quaestionem universi generis* orationem traducere. Causam de or. 2, 10, 41 vocat *certum genus;* de or. 2, 15, 65: de *certa definitaque causa.*

Spinosissima vero praecepta a rhetoribus tradebantur de singulis statibus (*στάσεις*), atque hoc in genere ipso Ciceronis loci multi magna obscuritate laborant, praesertim ubi Hermagorae doctrinam impugnat. Ac primum quidem oratori, si, utrum quaestio sit *θέσις* an *ὑπόθεσις*, cognovit, hoc imprimis est videndum, utrum in se consistat quaestio, id est statumne habeat necne, vel utrum *ζήτημα* sit *συνεστός* an *ἀσύστατον*; hic status positus est in affirmatione (*κατάφασις*) et negatione (*ἀπόφασις*). Hic status sensu latiore significatur loco de or. 2, 30, 132: „quid faciat causam et quo sublato controversia s t a r e non possit.“ de inv. 1, 8, 10: „*constitutio* est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta.“ or. part. 29, 102: „status et quasi conflictio cum adversario.“ Sed iam in his locis latior significatio verbi „status“ confunditur et permixta est cum angustiore; hic vero status rectius appellatur constitutio causae, atque a genere iudiciali, unde ortum eum esse constat, ad alia genera est translatus. Praecipuus autem locus est inv. 1, 8, 10: Cum facti controversia est, appellatur constitutio coniecturalis (= *στοχασμός*), cum autem nominis, quia vis vocabuli definienda (= *ὁρίζομαι*) verbis est, constitutio definitiva (*ὅρος*) nominatur. Cum vero, qualis res sit (*ποιότης*) quaeritur, quia et de vi et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur; at cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet aut .... translativa dicitur constitutio (*μετάληψις*), quia translationis et commutationis actio indigere

videtur (cf. ibid. 2, 19, 57). top. 25, 93: „refutatio accusationis, in qua est depulsio criminis, quae Graece *στάσις* dicitur, appelletur Latine status, in quo primum *insistit* quasi ad repugnandum congressa defensio.“ Ibid. 24, 92: „aut *infitialis aut coniecturalis* prima appelletur, definitiva altera: tertia, quamvis molestum hoc nomen sit, iuridicialis vocetur“; cum anxietate quadam verbum e verbo *στάσιν δικαιολογικὴν* eum interpretari videmus Tres tantum status enumerantur or. part. 29, 102. qui locus propter verborum varietatem est commemorandus: „Primus ille status et quasi conflictio cum adversario *coniectura* quadam, secundus autem *definitione* atque *descriptione* aut *informatione* verbi, tertius aequi et veri et recti .... disputatione tractandus est.“ Explicat magis quam interpretatur eosdem status de or. 1, 31, 139: „factumne sit, aut si est factum, quale sit (*ποιότης*), aut etiam quo nomine vocetur (*ὅρος*) aut quod nonnulli admittunt, rectene actum esse videatur (Volkmannus ita scribendum esse recte censet pro codd. l. „factum“; *μετάληψιν* enim his verbis significatam esse apparet).“

Constitutio definitiva etiam appellatur *secunda* inv. 2, 17, 52. Pluribus verbis explicatur de or. 2, 25, 107. 3, 19, 70, sed non nomine ipso declaratur. or part. 29, 101 vocatur: *facti appellatio.* De constitutione generali cf. etiam inv. 2, 21, 62 seq. de or. 2, 25, 106; 3, 19, 70; or. part. 29, 101 seq. appellatur *ratio.* De *μεταλήψει* eisdem fere verbis, ut supra, loquitur inv. 2, 19, 57; ea significatur, sed non ipso nomine appellatur de or. 2, 26, 113; 3, 19, 70 multisque aliis locis unum alterumve statum indicat, ita ut verbum ipsum non adhibeat.

Sed alia quaestionum partitio est, ut dividantur in *γένος λογικόν* et *γ. νομικόν*; quam divisionem Cicero ita interpretatur inv. 1, 12, 17: „considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia est ea, quae ex scriptionis genere nascitur“. ibd.: „eius autem genera, quae separata sunt a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum id quod scriptum est, duas aut plures res significare, tum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod non scriptum est inveniri: tum vis verbi, quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri.“ Hac copiosiore explicatione praemissa Graeca verba ita interpretatur: „Quare

primum genus *de scripto et sententia* (κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν; or. part. 31, 108: voluntas et sententia scriptoris), secundum *ex contrariis legibus* (ἀντινομία, cf. top. 25, 96: legi lex contraria, scripta contraria) tertium *ambiguum* (ἀμφιβολία; accuratius or. part. 31, 108 verborum *ambiguitas*), quartum *ratiocinativum* (συλλογισμός), quintum *definitivum* (ὁρισμός) nominamus" Eisdem fere verbis haec genera transfert. inv. 2, 40, 116. cf. or. 34, 121. or. part. 31, 108. de or. 1, 31, 140. Quae genera omnia or. part. 31, 107 Cicero generi qualitatis (ποιότητι) supponit eosque status omnes top 25, 95 complectitur nomine „legitimae (νομικαί) disceptationes". Sed alia quoque divisio constitutionis generalis (tunc enim Cic. nondum ausus erat fabricari v. qualitas) apud eum invenitur in const. iuridicialem et negotialem; quibus verbis voc. Gr. δικαιολογία et πραγματική ad verbum transferuntur, etsi ut Volkmannus l. c. ostendit, negotialis const. prorsus discrepat a vi πραγματικῆς. de inv. 1, 11, 14: „Haec ergo const., quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, iuridicialem et negotialem. Ac iuridicialis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam (ἀντίληψις) et *assumptivam* (προσληπτική, ἀντίθεσις). Eius (assumptivae) partes sunt quattuor, concessio, *remotio criminis* (μετάστασις), *relatio criminis* (ἀντέγκλημα), *comparatio* (ἀντίστασις) ..... Concessio in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem (συγγνώμη)." Sed haec nomina, quae tantum in libris de inventione reperiuntur minus pertinent ad quaestionem nostram, quia sine dubio in eis simpliciter sequitur rhetores priores, imprimis auctorem rhetoricae ad Herennium.

Maxima confusio apud Ciceronem apparet in notione quaestionis de inv. 1, 13, 18, quae etiam ad translationem nominum valuit. (cf. Volkmannus l. c. p. 102 seq.) Loquitur enim de quaestione, quae a constitutione proficiscatur. „Cognita constitutione deinceps erit videndum, quae quaestio, quae *iudicatio* (κρινόμενον), quod *firmamentum* causae (συνέχον) sit." or. part. 30, 104 ζήτημα appellat *disceptationem*. Voc. κρινόμενον or. 36, 126 ita explicat: quidquid est illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod Graece κρινόμενον dicitur. de or. 2, 30, 132 quid veniat in iudicium. Brut. 79, 275: „„qua de re agitur" autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis."

Itaque cum sermo fingitur cum Trebatio iurisconsulto Top. 25, 95 aptissime ita interpretatur: „quae ex statu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον vocant, mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, *qua de re agitur* vocari." Ibid. persequitur: „Quibus autem hoc continetur, haec *continentia* (συνέχοντα) vocentur, quasi firmamenta defensionis." Pariter or. part. 29, 103 ea appellat „continentia causarum", sed etiam firmamenta.

§ 2. Orationis partitio.

Brevissime partes orationis complectitur Cicero de inv. 1, 14, 19: exordium (προοίμιον), narratio (διήγησις), partitio (διαίρεσις), confirmatio (ἀπόδειξις, παρασκευή), reprehensio (ἀνασκευή), conclusio (ἔξοδος). cf. or. 35, 122, ubi singulas partes more suo magis explicat, quam interpretatur: „quid iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur orator (πρὸς εὔνοιαν) aut erigatur aut paret se ad discendum; rem breviter exponere et probabiliter (πρὸς πίστιν) et aperte, ... sua confirmare, adversaria evertere, ... post omnia perorationem inflammantem restinguentemve concludere?" de or. 2, 19, 80: exordiri, ita ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum; deinde rem narrare, ita ut verisimilis narratio sit ....; post autem dividere causam aut proponere; nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis et quasi perorationem (ἐπίλογος) collocant; alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa (αὔξησις) degredi (παρέκβασις, ἐκδρομή); deinde concludere ac perorare.

Voc. *prooemium* Cicero paucis locis usurpavit: Cluent. 21, 58; Verr. 1, 43, 111. de or. 1, 19, 86: „cur de prooemiis et de epilogis et de huiusmodi nugis ... referti essent eorum libri" (aperte Graecorum quidam rhetores perstringuntur); significatione non prorsus eadem de or. 2, 80, 325: „citharoedi prooemium". or. 69, 230: „in prooemio belli Punici"; Att. 16, 6: „prooemium libri de gloria"; leg. 2, 7, 16: legis prooemium. Ex his exemplis facile colligitur verbo prooemii nunquam proprie orationis προοίμιον significari.

Variis verbis hoc vocabulum Cicero solet interpretari. inv. 1, 15, 20 „*exordium* est oratio animum auditoris idonee comparans, quod eveniet, si eum benevolum, attentum, docilem fecerit". ibid: in duas partes dividitur, in *principium* (*προοίμιον* sensu august.) et *insinuationem* (*ἔφοδος*, cf. 1, 17, 23). Hanc distinctionem minutiorem, quam ab auctore rhetoricae ad Herennium, ut pleraque alia, assumpsisse videtur, postea dimisit. Vocabulum *exordii* etiam usurpatum videmus: de or. 1, 27, 122. 2, 78, 317; in exordiendo 2, 77, 311. cf. Tusc. 1, 4, 8. Saepe appellat *principium*, ut de or. 2, 77, 310. 78, 315. 79, 321. 323. 80, 325. 3, 20, 75. or. part. 8, 28; interdum *initium*: de or. 1, 31, 143. or. part. 8, 27. 28.

Secunda pars constituebatur *narratio* (*διήγησις*) inv. 1, 19, 27; de or. 2, 19, 80. 80, 326 (ibd: narrare rem); or. part. 9, 31.

Narrationem plerumque sequitur *propositio* (*πρόθεσις*) cum divisione (vel partitione, *διαίρεσις* vel *μερισμός*); de inv. 1, 22, 31: altera (pars), in qua rerum .... breviter *expositio* ponitur *distributa*. cf. ibd. 32. de or. 2, 19, 80 *dividere* causam aut *proponere*. 2, 41, 177: proponi oportet, quid adferas. 81, 331: sequitur ut causa *ponatur*. [de or. 3, 53, 203: „*propositio*, quid sis dicturus"; or. 40, 137 („ut *proponat*, quid dicturus sis") haec pars numeratur in dicendi ornamentis.]

Propositionem excipit *ἀπόδειξις* (*πίστεις*). Inv. 1, 24, 34 eam appellat „*confirmationem*", quae coniuncta est cum refutatione vel reprehensione. inv. 1, 42, 78: „reprehensio est (*ἀντιλογία*), per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut infirmatur." de or. 2, 81, 331: „ad probandam *argumentationem*, ea autem et confirmationem et reprehensionem quaerit." cf. or. part. 9, 33. 35, 122.

Huc pertinet universa doctrina de a r g u m e n t a t i o n i s l o c i s (qui *τόποι* appellantur apud Aristotelem). Vocabulo *Topica* nunquam usus est Cicero praeter titulum eius ipsius libri. Top. 2, 6 eam interpretatus est *inveniendi artem*; sed addendum censuit „quae *τοπικὴ* dicitur". or. part. 31, 109 *τόποι* vocantur „*inveniendi loci*". Top. 1, 2 eam artem nominat „disciplinam inveniendorum argumentorum." Top. 2, 7 copiosius eam rem explicat: „*locos* nosse debemus: sic enim appellatae ab Aristotele sunt *hae quasi sedes*, e quibus argumenta promuntur." cf. de or. 2, 34, 146 (loci, ex quibus argumenta eruamus), Brut. 21, 82. 29, 112. de or. 3, 41, 74 argumenta „*notae*" vocantur.

Aristotelis exemplum secuti duo genera distinguebant rhetores, quae appellantur *πίστεις ἄτεχνοι* et *ἔντεχνοι*. Arist. Rhet. 1, 2: *τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δ' ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἔντεχνα δ' ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν· ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δ' εὑρεῖν*. Cic. de or. 2, 27, 116: ad probandum duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed *in re positae* ratione tractantur; ....: altera est, quae tota in disputatione et argumentatione oratoris collocata est; similiter: de or. 2, 39, 163: omne quod sumatur in oratione ..... aut ex *sua sumi vi atque natura* aut *adsumi foris* ...; extrinsecus autem, cum ea, quae sunt foris neque inhaerent in rei natura, colliguntur: top. 19, 72: alios locos in eo ipso, de quo ambigitur, haerere, alios *assumi extrinsecus*. Interdum v. *ἄτεχνος* ausus est ad verbum transferre: top. 19, 73: haec igitur argumentatio, quae dicitur *artis expers*; or. part. 14, 48: illa, quae *sine arte* appellantur, quae iamdudum assumpta dixisti (cf. top. 2, 8. or. 35, 122 v. „assumere") ..... nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars, sed *foris ad se delata* tamen arte tractat. (Quintil. 5, 11, 91 iam audet fabricari v. artificialis et inartificialis.) cf. or. part. 2, 6: quae *sine arte* putantur, ea *remota* appello. Quid *insita* (*ἔντεχνοι*)? Quae *inhaerent* in ipsa re; ibd: „quae *infixa* sunt rebus ipsis." Ex eis, quae diximus, facile colligitur recte dicere Ciceronem se verbis abundare (ad Att. 12, 52); neque tamen nos fugit in posterioribus libris Ciceronem certis magis ac fixis verbis interpretari nomina Graeca, quae in prioribus libris satis habere solet longis quibusdam circuitionibus explicare potius quam transferre.

Porro *πίστεις ἔντεχνοι* ab Aristotele dividuntur in *ἐνθυμήματα* et *παραδείγματα*. Rhet. 1, 2 p. 9 (Spengel): .... *ἔστι τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγή, τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός .... καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν, παράδειγμα δ' ἐπαγωγὴν ῥητορικήν*. Quam doctrinam sequitur Cicero de inv. 1, 31, 51: omnis argumentatio aut per *inductionem* (*ἐπαγωγή*) tractanda est

aut per *ratiocinationem* (συλλογισμός). ibid. 32, 53: v. *inducere*. Top. 10, 42: haec ex pluribus perveniens, quo vult, appellatur *inductio*, quae Graece ἐπαγωγὴ nominatur. de inv. 34, 57: ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens (ἐνθύμημα). Saepe ἐνθύμημα ex pugnantibus a rhetoribus proprie ἐνθύμημα appellabatur. Top. 13, 55: illa rhetorum ex *contrariis conclusa*, quae ipsi ἐνθυμήματα appellant .... cum omnis sententia ἐνθύμημα dicatur, quia videtur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possedit. ibd. 14, 56: „illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quae a rhetoribus ἐνθύμημα nuncupatur." Hac occasione alia contraria memorentur, quae rhetores statuerunt, quae ad verbum Cic. interpretatus est: Top. 11, 48: „sunt alia contraria, quae *privantia* licet appellemus Latine, Graeci appellant στερητικά ....; sunt etiam illa valde contraria, quae appellantur *negantia*, ea ἀποφατικὰ Graeci."

Denique nonnullos locos singulos afferamus, quorum interpretatio ad rem nostram pertinet. Top. 2, 10 ἐτυμολογίαν transfert: „*notatio*, cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur." Cui loco simile est argumentum ex coniugatis: Top. 3, 12: *coniugata* dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem .. ut sapiens, sapienter, sapientia. Haec verborum *coniugatio* συζυγία dicitur. de inv. 1, 29, 45 locum argumentationis, qui est in enumeratione, affert: enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur. Apud Arist. Rhet. 2, 23 p. 108 hic locus appellatur τόπος ἐκ διαιρέσεως. δίλημμα rhetoricum Cicero interpretatus est *complexio* de inv. 1, 29, 45 (Cornif. 4, 40, 52 eum locum nominavit divisionem).

Quinta orationis pars a Graecis vocatur ἐπίλογος. Vocabulum „epilogus" aliquoties reperitur apud Ciceronem: Planc. 34, 83. Att. 4, 15, 4. de or. 1, 19, 86: „de prooemiis et de epilogis" ubi Graecorum praecepta minuta irridet. ibid. 2, 69, 278: Catulus cum in epilogo misericordiam se movisse putaret. or. 18, 57: non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus paene canticum; Brut. 33, 127: exstat eius peroratio, qui epilogus dicitur. fin. 4, 9, 22: patronus causae in epilogo pro reo dicens. Tusc. 1, 47, 112. Num rhetorum epilogum desideramus? cf. 49, 119. Quodsi hos locos diligentius consideraveris, singularem aliquam significationem

in omnibus invenias. At cum praecepta huius orationis partis tradit, semper verbis Latinis utitur; plerumque aliorum rhetorum exemplum secutus ἐπίλογον appellat *perorationem*: Brut. 57, 209. or. 35, 122. or. part. 8, 27. Varietatis causa Cicero alia quoque vocabula usurpavit: inv. 1, 52, 98: *conclusio* est *exitus* et *determinatio* totius orationis. cf. or. part. 15, 52; eadem verba or. 35, 122. Cf. de or. 2, 19, 80: tum alii *conclusionem* orationis et *quasi perorationem* collocant, alii iubent, antequam peroretur ornandi aut augendi causa (αὔξησις) degredi, deinde concludere et perorare. De huius partis divisione cf. inv. 1, 52, 98: haec (conclusio) habet partes tres: *enumerationem* (ἀνακεφαλαίωσις), indignationem, conquestionem. Cum vero indignatio et conquestio eodem tendant, ut animi afficiantur, part. or. 15, 52 in duas tantum partes perorationem dividit, *amplificationem* (αὔξησις) et enumerationem. Top. 26, 98: peroratio et alia quaedam habet et maxime amplificationem.

Haec amplificatio praecipue posita erat in locis communibus (κοινοῖς τόποις). inv. 1, 55, 106: animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet ... Id locis communibus efficere oportebit. 2, 15, 48: haec argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis quandam continet amplificationem. cf. or. 21, 72. 27, 95. 33, 118. Brut. 12, 46: scriptas fuisse et paratas a Protagora *rerum illustrium disputationes*, quae nunc communes appellantur loci. cf. de or. 3, 27, 104. 106.

In peroratione maximi momenti sunt ἦθος et πάθος, quae haud scio an nemo orator artificiosius adhibuerit, quam Cicero. Πάθος latine plerumque appellabatur *affectus*. Ἦθος autem, quia nullum suppetebat verbum idoneum, omnes rhetores circumlocutione vel explicatione studebant declarare. or. 37, 128: duo sunt, quae admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas et *ad mores* (ἤθη) et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum, alterum, quod eidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur. de or. 1, 51, 219: neminem posse mentes ... aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere nisi qui *hominum naturas, mores* atque rationes penitus perspexerit. ibid. 2, 42, 178: „*impetus quidam animi et perturbatio*";

ibid. 2, 43, 182 seq.: Valet multum ad vincendum probari mores ... genus hoc totum excellit in eis causis, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam *incitatione* (*πάθος*). 44, 185: illa .... ratio orationis, quae ... mentes iudicum permovet impellitque, ut ...... ad eos *motus* deducantur, si qui finitimi sunt et propinqui his animi *permotionibus*; ... optandum est, ut aliquam permotionem animorum sua sponte adferant ad causam iudices.

Brevius haec duo genera significavit de or. 2, 29, 129: Istius in dicendo facultatis tres sunt rationes: una *conciliandorum* hominum, altera docendorum, tertia *concitandorum*. Harum trium partium prima *lenitatem orationis* (*ἦθος*), secunda acumen, tertia *vim* (*πάθος*) desiderat.

Vocabulum *affectus*, quo in Quintiliani libris atque apud omnes posteriores scriptores *πάθη* semper significantur, nondum reperitur apud Ciceronem. Sed, cum *ἦθος* et *πάθος* pertineant etiam ad philosophiam, uberius de eis postea erit disputandum.

§ 3. De verbis, quae ad orationis dispositionem pertinent.

Vocabulum *disponere*, quo frequentissime utitur Quintilianus, nusquam inveni apud Ciceronem. Apud Graecos varia reperiuntur nomina neque in eorum usu rhetorum praecepta consentiunt; plerumque inveniuntur v. *διαίρεσις*, *οἰκονομία*, *τάξις*. inv. 1, 7, 9: *dispositio* est rerum inventarum in *ordinem distributio*. Cic. de or. 2, 42, 179: qui *ordo* et quae *dispositio* argumentorum. ibid. 2, 76, 307: *ordo collocatioque* rerum ac locorum; ibid. 308 verbum: *componere*. or. part. 3, 9: quid sequitur igitur? Cum inveneris, *collocare*: cuius in infinita quaestione *ordo* est idem fere, quem exposui, locorum. ibd. 5, 15: ordo collocandi. Hic quoque facile possumus videre, quam valde Cicero studeat verborum varietati et abundantiae cuidam, cum tam saepe duo verba idem significantia ad eandem rem indicandam coniungat.

§ 4. De vocabulis, quae spectant ad elocutionem.

Haec pars a Graecis plerumque appellatur *λέξις* vel *φράσις*, a rhetoribus Latinis *elocutio*; ita Cic. inv. 1, 7, 9: elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. Universe et subobscure elocutionem significat: or. part. 5, 16: „ipsius orationis verborumque praecepta"; ibd: „*genus eloquendi*".

Hic latissime patet locus de ornatu orationis, ad quem imprimis pertinent *τρόποι* et *σχήματα*. Cornificius haec duo genera exornationum nondum distinxit, sed Cicero Graecorum exemplum imitatus clare ea separavit: Brut. 17, 69: ornari orationem .... si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*. Vocabulum tropi nondum reperitur apud Ciceronem, sed saepe apud Quintilianum; vocabulum „*figura*", quae post Ciceronem est certa ac fixa appellatio, aliquoties quidem apud eum invenitur, sed hic quoque magnam nominum varietatem eum sectari videmus. Inv. 2, 15, 49 ea simpliciter appellat: *ornamenta* elocutionis (interpretatione Graeca non addita); de or. 3, 52, 201: *Formantur* autem et verba et sententiae innumerabiliter ...: sed inter *conformationem* verborum et sententiarum hoc interest ....; tum est *quasi luminibus* distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum (*σχ. διανοίας*) atque verborum (*σχ. λέξεως*); ibd. 54, 208: quae sententiis orationem verborumque *conformationibus illuminent*: Brut. 37, 140: sententiarum *ornamenta* et *conformationes*; ibd. 141: *σχήματα*, quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem .... non tam in verbis *pingendis*, quam in *illuminandis* sententiis. ibid. 79, 275: verborum et sententiarum *lumina*, quae vocant Graeci *σχήματα*; eadem verba Top. 8, 34; or. 5, 17: *ornamenta* (dicendi); similiter 6, 21. 24, 81. 39, 136. or. 20, 67: *verborum lumina*; cf. 25, 85. 27, 95. 39, 134. ibid. 24, 80: ornamenta alia rerum, alia verborum. Inprimis notandus est locus or. 25, 83, ubi v. *σχήματα* transfert: illuminat eis *luminibus*, quae Graeci *quasi aliquos gestus* orationis *σχήματα* appellant, quod idem verbum ab eis etiam in sententiarum *ornamenta* transfertur. ibid 27, 96: est quoddam etiam insigne et *florens* (*ἀνθηρόν*) orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes sententiarum illigantur *lepores*.

or. 39, 136: sine quadam *conformatione sententiae*, ibd: aliqua specie *illuminare sententias*. ibid. 54, 181: orationis *quasi formae et lumina*, quae Graeci vocant σχήματα; cf. 65, 220. or. part. 21, 72: utendum in oratione singulorum verborum *insignibus*. ibid: 73: illa ornamenta rerum. opt. gen. 5, 14: sententiis eisdem et earum *formis, tamquam figuris*. cf. ib. 7, 23: *virtutibus* illorum utens omnibus, id est sententiis et earum *figuris*. Verbum *ornamenta* nunquam coniunctum videmus cum particula „quaedam" vel „quasi", itaque tunc proprium vocabulum fuisse apparet; alia plerumque excusantur et a Cicerone formata esse videntur. In posterioribus libris saepius alia ipse invenit, et verbum *„figura"*, quod postremum usurpavit, in posteriorum usum transiit.

Duobus potissimum locis Cicero ea ornamenta enumerat, pauca alibi commemorat: quare eo ordine, quo in priore loco (de or. 3, 53, 202 seqq.) posita sunt, cum l. or. 39, 135 seqq. aliisque ea comparabimus.

ἐπιμονή	de or. 3, 53, 202: commoratio una in re; or. 40, 137: ut in eadem re commoretur sententia.
ἔκφρασις, ἐνδιάσκευος διήγησις	de or. illustris explanatio.
ὑποτύπωσις (v. *διατ.*)	de or: rerum quasi gerantur sub aspectum paene subiectio; or. 40, 139: subiciet oculis. Cornif. 4, 55, 68 eam figuram appellavit demonstrationem.
ἐπιτροχασμός	de or: percursio.
ἔμφασις	de or: plus ad intellegendum, quam dixeris, significatio.
βραχυλογία	de or: distincte concisa brevitas. Cic. rep. 5, fragm. 14 (ap. Sen.) breviloquentia.
μείωσις	de or: extenuatio; or. 40, 137: ut extenuet aliquid.
διασυρμός, χλευασμός	de or: illusio; de or. 40, 137: ut irrideat.
παρέκβασις	de or: ab re digressio; or. 40, 137: ut declinet a proposito aliquantum deflectatque sententiam; Brut. 21, 82: ut egrederetur a proposito ornandi causa (cf. egressus, egressio Quint. 4, 3, 12); Brut. 85, 292: digressio; 88, 300: digredi.

ἐπάνοδος	de or: reditus ad rem; or. 40, 137: ut se ipse revocet.
πρόθεσις	de or: propositio, quid sis dicturus; or. 40, 137: ut proponat, quid dicturus sit.
προέκθεσις	de or: ab eo, quod est dictum, seiunctio.
ἐπανάληψις	de or: iteratio; or. ib. ut, quod dixit, iteret.
ὑπερβολή	de or: ad verbum transfertur: „veritatis superlatio atque traiectio"; or. 40, 139 supra feret, quam fieri possit; part. or. 5, 17: ea, quae incredibiliter tollimus; ibid. 6, 20 et 15, 53: verba superlata.
ἐρώτησις	de or: rogatio; or. 40, 137: ut interrogando urgeat.
εἰρωνεία, εἴρων	de or. 53, 203: alia dicentis ac significantis dissimulatio; ibid. 2, 67, 269: dissimulatio est, cum alia dicuntur ac sentias; ibid. 270: „Fannius Africanum Graeco verbo appellat *εἴρωνα*; sed Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore omnibus praestitisse." or. 40, 137: ut contra ac dicat, accipi et sentiri velit; Ac. pr. 2, 5, 15: ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant. off. 1, 30, 108: „simulatorem, quem *εἴρωνα* Graeci nominarunt." Alio prorsus verbo ad significandam *εἰρωνείαν* utitur de or. 2, 65, 261: „in verbis etiam illa sunt, quae aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius verbi translatione aut ex *inversione verborum*." ibid. 262: *invertuntur* verba (ut contrariam vim habeant, id est *εἰρωνικῶς*).

ἀπορία	de or: dubitatio: or. 40, 137: ut addubitet, quid potius aut quomodo dicat.
διαίρεσις, μερισμός	de or: distributio, 205: digestio: or. 40, 138: ut aliud alii tribuens dispertiat; 137: ut dividat in partes.
ἐπιδιόρθωσις, ἐπανόρθωσις	de or: correctio; or. 39, 135: cum corrigimus nosmetipsos.
προδιόρθωσις	de or. 3, 53, 204: praemunitio; or. 40, 137: ut ante praemuniat.
προκατάληψις	de or. 3, 53, 205: anteoccupatio: or. 40, 138: ut ante occupet.
μετάστασις	de or. 204: traiectio in alium; or. 40, 137: ut culpam in adversarium conferat.
ἀνακοίνωσις	de or: communicatio, quae est quasi cum eis ipsis, apud quos dicas, deliberatio; or. 40, 137: ut saepe cum eis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet.
μίμησις, ἠθοποιΐα, χαρακτηρισμός	de or: morum ac vitae imitatio; or. 40, 138: ut hominum sermones moresque describat.
προσωποποιΐα	de or. 205: personarum ficta inductio; or. 40, 138: ut muta quaedam loquentia inducat.
ὑπογραφή	de or: descriptio; hanc figuram incertam neque necessariam in libro, qui inscribitur orator, omisit.
ἀποστροφή	de or: erroris inductio; or. ibd: ut ab eo, quod agitur, avertat animos.
χαριεντισμός	de or: ad hilaritatem impulsio; or. ib: ut in hilaritatem risumve convertat.
παρενόχλησις	de or: interpellatio; or. ibd: ut interpellationem coërceat.
ἀποσιώπησις	de or: reticentia; or. ib: ut aliquid reticere se dicat.
κατάπληξις	de or: comminatio; or. ib: ut denuntiet, quid caveant.

παρρησία	de or: vox quaedam libera; or. ibid. ut liberius quid audeat.

Alia verba, quae sequuntur de or. 3, 53, 205 communia sunt et usitatissima, quae ad propositum nostrum nihil pertinent, praeter:

κάθαρσις	de or: purgatio; or. ut medeatur.

Inde Cicero ad verborum lumina transit.

ἀναδίπλωσις	de or. 3, 54, 206: geminatio verborum; or. 39, 135: cum duplicantur iteranturque verba. ibid. 25, 85: verborum iterationes; or. part. 6, 20: duplicata: ibid. 15, 54: augent etiam verba relata, iterata, duplicata.
παρονομασία	de or. 3, 54, 206: paullum immutatum verbum atque deflexum; ibd: 2, 63, 256: „alterum genus, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Graeci vocant παρονομασίαν“; or. 25, 84: immutatione litterae quasi quaesitae venustates; or. 39, 135: cum verba leviter commutata ponuntur.
1) ἐπαναφορά, 2) ἐπιφορά (vel ἀντιστροφή), 3) συμπλοκή	de or. 3, 54, 206: eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio (1), tum in extremum conversio (2) et in eadem verba impetus et concursio (3); or. 39, 135: cum ab eodem verbo saepius ducitur oratio aut in idem conicitur aut utrumque.
ἐπίζευξις	de or. ib: adiunctio; or. 39, 135: cum adiungitur idem iteratum; or. part. 6, 20: verba ad nomen adiuncta
ὁμοιοτέλευτα et ὁμοιόπτωτα	de or: quae similiter desinunt aut quae cadunt similiter; or. ib: cum similiter vel cadunt verba vel desinunt; cf. or. 25, 84: similiter conclusa eodemque pacto cadentia; 19, 65: similiter extrema definiunt; 49, 164: sive casus habent

	in exitu similes; 52, 175: similiter definita. 65, 220: quae similiter cadunt verba verbis comparantur.
ἰσόκωλα et πάρισα	de or. 3, 54, 206: aut quae paribus paria referuntur (ἰσόκωλα) aut quae sunt inter se similia (πάρισα); or. 12, 38: ut verba paria respondeant; 19, 65: paria paribus referunt; 25, 84: p. p. relata; 49, 164: p. p. redduntur; 52, 175: p. p. adiuncta; 65, 220: p. p. refertur; part. or. 6, 21: p. p. respondeant; 21, 72: ut p. p. et similia similibus saepe referantur.
κλῖμαξ	de or. 3, 54, 207: est etiam gradatio quaedam; or. 39, 135: cum gradatim reditur; part. or. 15, 54: (verba) quae ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora.
ἀντιμεταβολή	de or. 3, 54, 207: conversio.
ὑπέρβατον	de or. ib: verborum concinna transgressio.
ἀντίθετον	de or. ib: contrarium; ib. 2, 65, 263: verba relata contrarie. or. 12, 38: ut conferantur pugnantia comparenturque contraria; ib. 39, 135: cum sunt contrariis relata contraria; 49, 164: sive opponuntur contraria; 52, 175: contrariis relata contraria; cf. 50, 166; 65, 220. or. part. 6, 21; 21, 72.
ἀσύνδετον, πολυσύνδετον	de or. 3, 54, 207: dissolutum; or. 39, 135: cum demptis coniunctionibus dissolute plura dicuntur; or. part. 6, 21: constructio verborum tum coniunctionibus copuletur (πολ.), tum dissolutionibus relaxetur.
παρηγμένον	de or. ib: declinatio; or. 39, 135: cum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, ostendimus.

ἐπιτίμησις	de or: reprehensio; or. ib: cum corrigimus nosmetipsos quasi reprehendentes.
ἐκφώνησις	de or. ib: exclamatio; or. ib: si est aliqua exclamatio vel admirationis vel conquestionis.
πολύπτωτον	de or: quod in multis casibus ponitur; or. ib: cum eiusdem nominis casus saepius commutantur.
αἰτιολογία	de or. ibid: ad propositum subiecta ratio; quam figuram clarius indicat: de or. 2, 41, 177: non proponere ac ratione ipsa adferenda, quid proponendum fuerit, declarare.
προςαπόδοσις	de or. ib: in distributis supposita ratio.
ἀπροςδόκητον	de or: improvisum quiddam. ibd. 2, 63, 255: cum aliud exspectamus.
ἀπαρίθμησις	de or: dinumeratio.

Ἀλλοίωσις, μεταφορά, μετωνυμία, συνεκδοχή, ἀλληγορία, ὑπαλλαγή.

Inprimis notandum est verbum *transferendi* a Cicerone modo latiore modo angustiore significatione usurpari, id quod ex his locis apparet: de or. 3, 38, 155: tertius ille modus *transferendi* verbi late patet (μεταφορά) .... sic verbi *translatio* instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. 156: hae *translationes quasi mutuationes* sunt, cum, quod non habeas, aliunde sumas. 39, 157: translatis per similitudinem verbis; 159: quod omnes translatis et alienis magis delectentur verbis quam propriis (κυρίοις) et suis. 41, 163 μεταφορὰν interpretatur *simile:* videndum ne longe simile sit ductum. 41, 166 translatio significat ἀλληγορίαν, quae est continuata μεταφορά: illud quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis conectitur. Praecipue notandus est locus or. 27, 92: „*tralata* (μεταφοράς) ea dico, quae per similitudinem ab alia re transferuntur, *mutata*, in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet, quod, quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit cum dixit Ennius „arce et urbe orba sum" et „horridam Africam terri-

bili tremere tumultu". Hanc *ὑπαλλαγὴν* rhetores, quia *summutantur* (*ὑπαλλάττονται*) verba pro verbis, *μετωνυμίαν* grammatici vocant, quia *nomina transferuntur.*" Pariter de or. 3, 42, 167 *μετωνυμίαν* interpretatur: „illa *traductio* atque *immutatio* (*ὑπαλλαγή*) in verbo" „ornandi causa proprium proprio *commutatum*" 168: „cum *inflexo commutatoque* verbo res eadem enuntiatur ornatius". *Συνεκδοχὴν*, quae apud auct. ad Herenn. 4, 33, 44 appellatur intellectio, Cicero non uno verbo transtulit, sed ita interpretatus est de or. 3, 42, 168: „cum *intellegi* volumus aliquid aut ex parte totum aut ex toto partem;" ibd. 43, 169: quae aut immutata esse (*μετωνυμία*) dixi aut *aliter intellegenda* (*συνεκδοχή*). De *ἀλληγορίᾳ* loquitur or. 27, 94: „cum fluxerunt plures continuae tralationes, *alia plane fit oratio* (verbum ex verbo = *ἀλληγορία*), itaque hoc genus Graeci appellant *ἀλληγορίαν*, nomine recte, genere melius ille (Aristoteles), qui ista omnia tralationes (*μεταφοράς*) vocat."

Similiter has figuras in ceteris libris interpretatur. cf. part. or. 5, 17: ea, quae transferantur aut immutantur; 6, 20; 15, 53: v. translata; top: 7, 32: translatio verbi ex similitudine. cf. opt. gen 2, 4. Sensu latiore Brut 17, 69 verborum *immutationes* significant *τρόπους*; atque etiam de or. 3, 54, 207 nomine *immutationis* *μεταφορὰν* et *μετωνυμίαν* comprehendere videtur, quia translatio hoc loco non commemoratur. de or. 2, 65, 261 hoc modo interpretatur *ἀλληγορίαν* et *μεταφορὰν* et *εἰρωνείαν*: „In verbis etiam illa sunt, quae aut ex *immutata oratione* (ad verbum = *ἀλληγορία*) ducuntur aut ex unius verbi *translatione* aut ex *inversione* verborum." *Ἀλληγορικῶς* interpretatur: „per quandam significationem." n. d. 1, 14, 36. Denique ex lib. de or. 3, 54, 207 commemoranda est *circumscriptio περιγραφή*.

His luminibus ea ornamenta sunt addenda, quae aliis tantum locis inveniuntur: or. 40, 137: „ut aliquid relinquat ac neglegat" (*παράλειψις*); part. or. 15, 53: verba *cognominata* (ad verbum = *συνώνυμα*). cf. part. or. 6, 20, ubi appellantur: *idem significantia*; de or. 3, 43, 169: abutimur saepe verbo (*κατάχρησις*); cf. or. 27, 94: Aristoteles tralationi subiungit et *abusionem*, quam *κατάχρησιν* vocant; part. or. 5, 17: ea, quibus tamquam abutimur.

Has figurarum interpretationes omnes si diligenter compara-

verimus, plurima *σχήματα* inveniemus Ciceronem non uno novo verbo transtulisse, sed plerumque pluribus verbis expressisse; in posterioribus autem libris multo magis verborum varietatem eum captasse videmus ac plerumque Graeca nomina magis ad verbum studuisse transferre.

Non minus diligenter Cicero, quippe qui elocutionis perpoliendae esset studiosissimus, praecepta tradidit de constructione verborum ac numero. Huc inprimis pertinent *κόμματα*, *κῶλα*, *περίοδοι*. Ciceronem primum verba *κόμματα* et *κῶλα* transtulisse verbis *incisa* et *membra* recte mihi videor conicere ex l. or. 62, 211: „illa quae nescio, cur, cum Graeci *κόμματα* et *κῶλα* nominent, nos non recte incisa et membra dicamus. Neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina." De or. 3, 48, 186 neque excusatione neque verbis Graecis additis dixerat: „continuatio (*περίοδος*) *articulis membrisque* distincta." cf. de or. 3, 49, 190: „saepe minutioribus membris carpenda oratio est"; unde quae saepius diximus de libris „de oratore" et „orator", denuo videntur confirmari. Ut aliquam varietatem assequatur, non semper easdem verborum formas usurpat: or. 66, 221: incisa et membra; pariter 223; 222: membratim; 67, 225 „membratim", deinde „caesim": 63, 213 et 67, 223: incisim; 63, 212: incise; 64, 216: in incisionibus et in membris: Brut 44, 162: membra q u a e d a m, quae *κῶλα* Graeci vocant.

Vocabulum *περίοδος* Cicero nondum ausus est in linguam Latinam recipere, sed nullum verbum tam varie est interpretatus. Proprium tamen verbum ei fuisse videtur *continuatio*, quia hoc semper sine excusatione aut interpretatione videmus usurpatum: Or. 61, 204: in toto *circuitu* illo orationis (ad verbum = *περίοδος*), quam Graeci *περίοδον*, nos tum *ambitum*, tum *circuitum*, tum *comprehensionem* aut *continuationem* aut *circumscriptionem* dicimus; cf. or. 66, 222. de or. 1, 61, 261. 3, 42, 167. 43, 171. 48, 186. Verbum *ambitus* excusat de or. 3, 48, 186: infringitur ille *quasi verborum ambitus*, sic enim has orationis *conversiones* Graeci nominant; Brut. 44, 162: *comprehensio* et *ambitus* ille verborum, si sic *περίοδον* appellari licet; cf. or. 12, 38 (circumscripti ambitus), 50, 168. 59, 199. 61, 207. 61, 208: haec vel circumscriptio vel comprehensio vel continuatio vel ambitus, *si ita licet dicere*; 63, 212. 66, 221. 222. *Circuitus:* de or. 3, 5. 1, 198: circuitus et

quasi orbis verborum; cf. de or. 3, 49, 191. or. 23, 78. 56, 187. 61, 206. part. or. 7, 23. *Comprehensio:* or. 44, 149. 58, 198 et saep. *Circumscriptio:* or. 61, 207. 66, 221. Saepe consuetudinem suam secutus duo vel plura coniungit, ut or. 61, 207 208. Brut. 44, 162. or. 23, 78: circuitus *conglutinatioque;* or. 63, 212: comprehensiones *conclusionesque.* Semel usus est v. *complexio verborum* de or. 3, 47, 182; *perpetuitas* et *quasi conversio* verborum de or. 3, 49, 190. Adi. circumscriptus: or. 12, 38: circumscriptus verborum ambitus (ῥυθμικὴ περίοδος); or. 66, 221: circumscripte numeroseque.

Sed haec iam spectant ad numerum (ῥυθμόν) orationis, de quo saepissime loquitur Cicero, potissimum de or. 3, 47, 182 sqq. or. 49, 162 seqq. Graecum verbum ῥυθμός nunquam in linguam Latinam recepit. or. 20, 67: ipse numerus increbuit; quidquid est enim quod sub aurium mensuram aliquam cadat, . . . *numerus* vocatur, qui Graece ῥυθμὸς dicitur. Sed plerumque v. numerus utitur sine interpretatione Graeca. cf. 49, 162 etc.; similiter adi. numerosus et adv. numerose; cf. or. part. 21, 72 (circumscripta numerose) et multis al. l. Vocabulum ἄρρυθμος interpretatus est or. 57, 195: nec numerosa neque *extra numerum;* cf. Parad. 3, 2, 26: histrio, si paulum se movet extra numerum. or. 68, 228: ne *infinite* feratur oratio (τὸ δὲ ἄρρυθμον ἀπέραντον); ib. multo maiorem habent *apta* vim quam *soluta.* Or. 53, 117 et 57, 191 varietatis causa numerosam orationem appellavit *aptam* orationem; multo saepius quam adiect., hac vi usurpavit adv. *apte:* or. 44, 149. 68, 227 et saepissime aliis l.; commemoretur denique coniunctio duorum verborum: de or. 3, 51, 198: quod diximus aptum perfectumque; or. 53, 177: concluse apteque; or. 65, 219: apte numeroseque. Quod genus Quint. 9, 4, 150 ῥυθμῶν μεταβολὴν appellat, Cicero nominat *commutationes* or. 65, 219; cf. ibid. 62, 209: oratio numerosa saepe commutatur.

Numero et concinnitate oratio *concluditur,* quae translatio sumpta est a similitudine orbis. or. 5, 20: neque perfecta neque conclusa; de or. 2, 8, 34: sine artificiosa verborum *conclusione;* cf. 3, 44, 174: 3, 51, 198: circuitum et *quasi orbem* verborum conficere. or. 44, 149: ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat *orbem* suum. 61, 207: ut tamquam in orbe inclusa

currat oratio; 65, 220: quidquid ita concluditur, plerumque fit, ut numerose cadat. cf. 69, 230. 71, 234: in Thucydide orbem orationis desidero.

Haec omnia pertinent ad verborum constructionem, quam Graeci vocabant ἁρμονίαν vel ἁρμογήν. Cicero Brut. 8, 33: verborum *quasi structura* et quaedam ad numerum conclusio. or. 5, 20: structa ac terminata oratio; or. 44, 149: quasi structura quaedam (quibus vocabulis additis hoc verbum ea significatione praeditum tunc inusitatum fuisse indicatur).

His pauca alia verba addamus, quae pertinent ad elocutionem. Or. 20, 66: *contorta* et acris oratio (*contorta* oratio ad verbum est συνεστραμμένη λέξις; v. „acris" explicationis gratia additum esse patet); cf. fat. 9, 17: contortiones orationis. Or. 5, 20 genera dicendi enumerantur: „tria sunt omnino genera, quibus in singulis quidam floruerunt . . . nam et *grandiloqui,* ut ita dicam (genus grande γένος ἁδρόν) fuerunt cum ampla sententiarum gravitate ..... quod ipsum alii — *aspera* (σκληρός, τραχύς) oratione (assequebantur) — et contra tenues acuti .... subtili quadam ac pressa oratione (γ. ἰσχνόν) limati, ... alii .... florentes (ἀνθηροί) etiam et leviter ornati. 19, 65: flores, quos adhibet orator, in causis persequi; 27, 96: est quoddam *insigne et florens* (ἀνθηρόν) orationis pictum et expolitum genus.

Χαρακτῆρα orationis or. 39, 134 ita exprimit: sed iam forma ipsa restat et χαρακτὴρ ille, qui dicitur. 21, 69: tria eius genera enumerat: *subtile* (χ. ἰσχνὸς) in probando, *modicum* (μέσος χ.) in delectando, *vehemens* (δεινὸς χ.) in flectendo. de or. 3, 52, 199: si *habitum* etiam orationis (σχῆμα = χαρακτὴρ) et quasi colorem aliquem requiritis, est et *plena* quaedam (γ. ἁδρόν) sed tamen teres, et tenuis (ἰσχνόν) non sine nervis ac viribus, et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate (γ. μέσον) laudatur. His tribus *figuris* insidere quidam venustatis .... debet color. Pariter χαρακτῆρα appellat figuram: ibid. 55, 212: ut *figuram* orationis plenioris et tenuioris et item illius mediocris deligamus.

Or. 36, 125 Cicero has duas partes appellat maxime luminosas et quasi *actuosas* (ποιητικάς, πρακτικάς): „quarum alteram in universi generis quaestione pono, quam, ut supra (14, 46) dixi, Graeci

appellant θέσιν, alteram in augendis amplificandisque rebus, quae ab eisdem αὔξησις est nominata". Brut. 93, 322 hanc θέσιν ita interpretatur: „qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere". or. 14, 45: „orator excellens a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam." Inde videmus θέσιν et quaestionem ipsam universam et infinitam significare et traductionem a quaestione finita ad infinitam. or. 36, 126: „ut *traducatur* ad perpetuam quaestionem atque ut de genere universo dicatur." Tamen Cicero nullum verbum substant. ipse ausus est novare, ut θέσιν interpretaretur. De amplificatione iam supra disputavimus.

§ 4. Memoria et pronuntiatio.

Quartum oratoris officium est μνήμη memoria (inv. 1, 7, 9); sed in hac parte nulla fere verba reperiuntur, quae ad rem nostram pertineant. Τέχνην μνημονικὴν auct. ad Her. 3, 16, 29 appellat artificiosam memoriam. Cicero de or. 2, 86, 351: artem memoriae. ibd. 87, 358: locis (τόποις) est utendum multis, illustribus ..... imaginibus autem *agentibus* (δραστικαῖς), acribus, insignitis; quam facultatem et exercitatio dabit et ..... similium verborum ... *notatio* (ἐτυμολογία, cf. top. 8, 35: notatio, quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo; ibid: „hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est nota", unde v. notatio, quia sunt verba rerum notae).

Actio a Graecis nominata est ὑπόκρισις; Cicero eam appellat *pronuntiationem* (de inv. 1, 7, 9) Cornificii exemplum secutus; sed multo saepius reperitur verbum *actio*: de or. 1, 5, 18. 3, 56, 213. Brut. 38, 142. or. 17, 55. Σχήματα τοῦ σώματος Cicero ita interpretatur: de or. 1, 5, 18 actio, quae *motu* corporis, quae *gestu* (v. ex v. σχῆμα), quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est. de or. 3, 56, 214: quae sic ab illo acta constabat oculis, voce, *gestu* etc. cf. Brut. 38, 141. or. 17, 55: actio constat e voce atque *motu*.

Quae quoniam exposui, restat, ut non omnes has interpretationes Ciceroni ipsi moneam esse attribuendas. Magnus enim

eorum numerus iam ante Ciceronem reperitur, imprimis ea, quae in libris de inventione reperiuntur, pleraque ex rhetorica ad Herennium assumpta esse constat. Quare quod alii homines docti ex aliis causis probaverunt, Ciceronis de inventione libros magna ex parte niti Cornificii libris, ex vocabulorum comparatione tam manifeste mihi videtur apparere, ut nemo iam de ea re possit dubitare. In eis autem verbis, quae Cicero primus usurpavit ad verba Graeca interpretanda, ipse hoc solet indicare, cum addit: „appellare licet" „nos nominamus" „libet vocare" vel similia, ut supra demonstravimus. In posterioribus libris (or., part. or., top.) Graecum verbum consuevit adiungere; ac si quis diligentius, qua in quoque libro interpretandi ratione usus sit, consideraverit, facile intelleget in libris, qui inscribuntur „de oratore" plerumque eum rem longiore circuitione explicasse et ornasse, in posterioribus brevius atque luculentius esse interpretatum.

Cap. II. Philosophia.

§ 1. Philosophia universa eiusque partes.

Multo plura vocabula Graeca, quam in libris rhetoricis, Cicero Latine interpretatus est in libris de philosophia vel dialogis, quia, ut ipse ait, primus eam Latinis litteris illustravit. Praeterea non erat nescius multis civibus „totum hoc displicere philosophari" (fin. 1, 1, 1); qui certe multo magis ab eo studio essent abalienati, si Cicero linguae Latinae inopiam confessus multa verba Graeca inculcasset. Quare in philosophia potissimum summopere contendit, ut eleganti ornatu Latino Graecam doctrinam civibus commendaret. Et vero nemo potest negare hoc in genere optime meruisse Ciceronem de lingua Latina, quam etsi immerito fin. 1, 3, 10 dicit locupletiorem esse Graeca, tamen (ut ipse profitetur fat. 1, 1) multum auxit atque ad eiusmodi res tractandas perpolivit (Cf. prooem. cap. VI. p. priore pag. 40).

Verbum *philosophiae* iam pridem Latino sermone tritum fuisse Cicero ipse compluribus locis testatur, ut: Ac. post. 1, 7, 25: Enitar ut Latine loquar, nisi in huiusmodi verbis, ut *philosophiam* aut rhetoricam aut physicam aut dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, consuetudo iam utitur pro Latinis. cf. div. 2, 4, 11: ut ipsa philosophia, ... ita sorites satis Latino sermone tritus est.

Itaque haud recte C. M. Bernhardtius in libello „de Cicerone Graecae philosophiae interprete" (Progr. Gymn. Fred. Guil. Berol. 1865) F. A. Wolfium secutus ex l. Tusc. 1, 1: „studio sapientiae, quae philosophia dicitur", v. philosophiae Ciceronis aetate nondum usu fuisse perceptum conclusit. Verum quidem est hoc verbum in orationibus perraro inveniri (cf. Pis. 24, 56. Sext. 10, 22. Scaur. 3, 4. Arch. 11, 26. Phil. 13, 45). Sed his omnibus locis hoc facilem habet explicationem, ut in p. priore demonstravimus. Neque enim in orationibus eo vocabulo utendi occasio saepe oblata est et nonnunquam hoc verbum aperte vitavit consulto, non quo consuetudo non uteretur pro Latino, sed quod, ubicunque poterat, in plurimis orationibus omnia verba peregrina effugiebat, praesertim cum philosophia ut Graecorum propria apud iudices et maxime apud populum nondum magno in honore esset. Eos tantum locos afferam, ubi sine dubio proprie philosophia indicatur. Deiot. 13, 37: omnes docti et sapientes; Sext. 21, 47: „inter sapientissimos homines contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum morte restingui etc." Marcell. 8, 25: doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam; Mur. 29, 60. 30, 62: doctrina, doctrinae studium; qua in oratione etiam verba: *disciplina, ars, secta* interdum proprie philosophiam significant; Rosc. Am. 13, 37: sapientes. Atque etiam § 3 in epistula 6. libri 6. ad familiares, qui, ut p. I p. 26 notavimus, singulari praestat sermonis Latini sinceritate, „*sapientissimi* viri" sunt philosophi ac *doctrinae studium* significat philosophiam. Ipsis in libris de philosophia, ubi sescenties sine ulla explicatione aut excusatione usurpatur verbum philosophiae, aliquoties vocabulum Latinum pro Graeco positum reperimus. Lael. 3, 10: viderint *sapientes*; ib. 5, 18: *docti*; off. 2, 1, 2 paulo postquam usurpavit verbum philosophiae, dicit: nec rursum indignis homine *docto* voluptatibus (me dedidi); ibid. 3, 1, 3: ab hominibus *doctis* accepimus; leg. 1, 10, 28; n. d. 1, 2, 5: „non solum indocti, sed etiam docti"; sed ibid. 17, 44 concinnitate neglecta „*indocti*" „*philosophis*" opponuntur.*) cf. Tusc. 2, 17, 39: doctus vir sapiensque. Neque tamen inde licet colligere philosophiae verbum non fuisse consuetudine receptum; sed cum totiens Cicero verbum Graecum usurparet, aliquoties Latine transtulit, praesertim cum non de Graeca potissimum philosophia, sed universe de sapientiae studio loquebatur, imprimis in eis libris, qui non in philosophiae subtilitatibus, sed in praeceptis vitae morumque versantur. Praeterea, quod ex omnibus exemplis allatis potest concludi, Cicero, si v. philosophiae voluisset explicare, certe *φιλοσοφίαν* Graece scripsisset. Itaque hanc potius definitionem philosophorum more esse existimo, ut multa alia verba iam pridem cognita definiuntur.

Necessitate coactus Cicero saepe compensationem quaesivit loco adiectivi et adverbii; Graeci enim v. *φιλόσοφος* ipsum pro adiectivo usurpabant (cf. p. I. pag. 47): vario modo Cicero hanc inopiam studuit compensare; cf. de ea re Nägelsbach-Müller, Lat. Stil. § 2, 1 et § 27, quibus locis nihil memoratu dignum addendum invenimus.

De or. 1, 15, 68: philosophia in tres partes est tributa, in *naturae obscuritatem* (*φυσική*), in *disserendi subtilitatem* (*διαλεκτική*), in *vitam atque mores* (*ἠθική*); fin. 5, 4, 9: „una pars est naturae, disserendi altéra, vivendi tertia." Longiore circuitione eas partes enumerat: Ac. pr. 2, 36, 114: ut exponas disciplinam sapientiae (*φιλοσοφία*), naturam rerum omnium evolvas (*φυσική*), mores fingas, fines bonorum malorumque constituas, officia describas, quam vitam ingrediar definias (haec omnia spectant ad *ἠθικήν*), idemque disputandi (*διαλεκτική*) et intellegendi (vel *λογική*) iudicium dicas te et artificium traditurum; brevius Ac. post. 1, 5, 19: philosophandi ratio triplex, una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo.

*) Graeci eos, qui philosophiae rudes erant, appellabant *ἰδιώτας*, sed Cicero eo verbo non usus est nisi irrisionis causa. Pis. 26, 62: „illi idiotae, ut tu appellas"; ibid. 27, 65; Sext. 51, 110: „posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit"; Verr. 4, 2, 4 „idiota" significat hominem artium non intellegentem.

Antequam ad singularum philosophiae partium verba dictionesque transeamus, nonnulla verba, quae ad philosophiam universam pertinent, memoremus. Verbum *„schola“*, ut supra (p. 1) diximus, Saalfeldius recte suspicatus est a Cicerone primo in linguam Latinam esse receptum, atque apud eum variis significationibus late patet cf. Tusc. 1, 4, 8: „scholas habere Graeco more“, id est disputationes de philosophia; cf. ib. 3, 34. fin. 3, 1; de or. 1, 13, 56: „clamabant omnes philosophorum scholae“ (= *αἱρέσεις*); eandem significationem saepe habet v. Latinum *secta*, ut: Brut. 31, 120. leg. 1, 13, 38; *familiam* eam appellat inv. 2, 3, 8 (ubi addit: diversis s i c u t i familiis), leg. 1, 21, 55; div. 2, 1, 3 (Peripateticorum familia).

De usu verbi „dogma“ disputavimus p. I. p. 46; sed saepissime hoc verbum Graecum Latine interpretatur *decretum:* fin. 2, 31, 99: decreta Epicuri; Ac. pr. 2, 9, 27: de decretis, quae philosophi vocant *δόγματα*; ibd. 29: *decretum*, ubi addit: sentitis enim iam hoc me *δόγμα* dicere. cf. Tusc. 2, 4, 11; 5, 29, 84: hoc praeclarum q u a s i decretum. Eandem vim videmus habere verbum *decernendi:* fin. 2, 34, 115: qui voluptatem summum bonum esse decernit; Tusc. 2, 6, 16: si id summum malum esse decreverit. *) —

Παράδοξα Stoicorum interpretatur *admirabilia* [Parad. 4: „quae quia sunt admirabilia contraque opinionem (NB. verbum ex verbo translatum), ab ipsis etiam *παράδοξα* appellantur“; cf. fin. 4, 27, 74] vel *mirabilia:* Ac. pr. 2, 44, 136. fin. 3, 15, 48. *Δόξαι κύριαι* duplicem habent vim; itaque fin. 2, 7, 20 eas interpretatur: Epicuri *κυρίας δόξας*, id est quasi maxime ratas; altero sensu: n. d. 1, 30, 85: „in illis selectis brevibusque sententiis, quas appellatis *κυρίας δόξας*.

*) Ex exemplis, quae attulimus, apparet Ciceronem quidem plerumque, cum verbum Latinum ad alienam significationem transfert, ut Graecum interpretetur, primo loco addere particulas „quasi, quidam“ vel similes; et cum vocabulo Graeco utitur nondum usitato, interpretatione Latina addita excusare, sed nequaquam hanc rationem semper sequitur. quoniam certe locus Tusc. 5, 29, 84 posterior est libris de fin.

§ 2. Dialectica.

Saepe Cicero, ut parte priore ostendimus, verbis peregrinis usus est: *dialectica, ae* et *dialectica, orum*; pariter frequentissime usurpavit adiect. *dialecticus* et adv. *dialectice*, nunquam vocabuli substant. formam: dialectice, es, quae plerumque reperitur apud Quintilianum. Quamquam vero Cicero ipse hoc verbum dialecticae Latino sermone satis esse tritum testatur (Ac. post. 1, 7, 25), tamen multo pluribus locis Latine interpretatur. De or. 2, 37, 157: *ars bene disserendi* et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco *διαλεκτικήν* appellaret (Diogenes); Top. 14, 56: disserendi genus; Ac. pr. 2, 28, 91: dialectica veri et falsi quasi disceptatrix et index; Ac. post. 1, 8, 32: omnis dialecticae disciplina, id est *orationis ratione* (*λόγος*) *conclusae:* cf. ibd. 1, 2, 5: *ars disserendi*; 8, 30: tertia philosophiae pars, quae erat in ratione et in disserendo; fin. 1, 7, 22: altera philosophiae parte, quae est quaerendi et disserendi, quae *λογικὴ* dicitur: Tusc. 2, 2, 6: disserendi elegantia; fat. 1, 1: „totaque *λογική*, quam *rationem disserendi* voco“; pauci hic scribi volunt „logice“ sed eam formam, ut Quintiliani propriam, ego prorsus reiciendam arbitror; Tusc. 5, 25, 72: quae vera et falsa diudicat, disserendi ratio et scientia.

Inde patet nomen *disserendi ars* vel *ratio disserendi* huius philosophiae partis proprium fuisse apud Ciceronem, sed cum n. substantivum non derivaret a disserendo, mirum non est a posterioribus philosophis nomina Graeca sola usu esse recepta; verbum logicae, quod nunquam ausus est recipere Cicero, magis postea frequentatum est quam dialecticae.

Ad disserendi scientiam inprimis pertinet *definitio* — *ὁρισμός*. de or. 1, 42, 189: omnia (nomina) definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum; off. 1, 2, 7: omnis, quae ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci; Top. 22, 83: „cum autem, quid sit, quaeritur, *notio* explicanda est et proprietas et partitio. Haec est definitioni attributa, additur etiam *descriptio*, quem Graeci *χαρακτῆρα* vocant.“ Similiter de or. 3, 29, 115: „definitionis autem sunt disceptationes ...... aut cum, quae forma et quasi naturalis nota (*χαρακτήρ*) cuiusque sit, describitur, ut, si quaeratur avari *species*“. Quae vocabula

„genus, species, forma“ quamquam partim tantum ad definitionem spectant, partim aliam vim habent, tamen ut variae singulorum vocabulorum significationes uno quasi conspectu cognoscantur, de eis hoc loco disserendum censeo.

Hoc quidem sine dubio affirmandum arbitror Ciceronem ipsum philosophorum de eis rebus doctrinam, imprimis Platonis de *ἰδέας*, parum accurate perspexisse ideoque in Ciceronis libris saepe diligentiam ac subtilitatem requiri. Ad definitionem pertinet distinctio inter genus et speciem (*γένος, εἶδος*). De or. 1, 42, 189: „sunt notanda *genera* et ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem est id, quod sui similes communione quadam, *specie* autem differentes, duas aut plures complectitur *partes*. *Partes* autem sunt, quae generibus ..... subiciuntur.“ cf. de inv. 1, 22, 32: paucitas in partitione servatur, si *genera* ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum *partibus* implicantur. de or. 1, 42, 190: aliam interpretationem tentat: „ut eorum generum *quasi quaedam membra* dispertiat“ (hanc conversionem esse inusitatam illis particulis indicavit); or. 4, 16: genus et speciem cuiusque rei cernere; or. 33, 116: videndum est, quae sint eius generis sive *formae* sive partes; 33, 117: genus universum in *species* certas partietur. Top. 7, 30 ceteris verbis anteponit vocabulum „*formae*“ cum dicit: in divisione (sunt) *formae*, quas Graeci *εἴδη* vocant, nostri *species* appellant, non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. (ib: nolim, ne si Latine possit quidem dici, specierum et speciebus dicere) cf. ib. 7, 31. 22, 83.

In libro, qui inscribitur orator, persaepe memorat Platonis *ἰδεάς*; numero singulari id verbum interpretari solet vocabulo „*species*“, vel „*forma*“, nam. plur. „*formae*“. Variae quidem significationes huius verbi *ἰδέας* apud Ciceronem non satis acute distinguuntur, sed ad rem nostram non attinet, nisi quibus vocabulis eam convertat, disquirere. Or. 1, 2: *optima species et quasi figura dicendi* (lingua Germanica: Ideal); 3, 9: cogitata species, ibid: perfectae eloquentiae species; 3, 10: has rerum *formas* appellat *ἰδέας* (Plato); 14, 43: excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrabimus (cf. 11, 36: formam, qui *χαρακτὴρ* Graece dicitur, exponere optimi); 29, 101: rei formam et speciem, quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus (similiter 5, 19:

comprehensam animo quandam formam eloquentiae); 38, 133: ea forma, quae est insita in mentibus nostris. Alia significatione v. formae utitur Brut. 95, 327: ingenii quaedam *forma* (*χαρακτήρ*); proprie Platonis *ἰδέα* intellegitur: Ac. post. 1, 8, 30: hanc illi *ἰδέαν* appellabant, iam a Platone ita nominatam, nos recte speciem possumus dicere: Tusc. 1, 24, 58: *ἰδέαν* appellat ille, nos speciem.

Cum formis Platonis in animis nostris insitis artissime cohaerent *ἔννοιαι* vel *προλήψεις*. Haec verba Cicero partim nova verba Latina fabricando interpretatus est, partim verbis iam usitatis in hunc sensum translatis. n. d. 1, 16, 43: *anticipationem* quandam deorum, quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, id est anteceptam (NB. verbum ex verbo) animo rei quandam informationem; ibid. 17, 44: „hanc sive anticipationem, ut ante dixi, sive *praenotionem*, s u n t e n i m r e b u s n o v i s n o v a p o n e n d a n o m i n a.“ Haec igitur duo nomina Cicero ipse finxit, in prioribus autem libris alia nomina transtulerat vel, ut Cic. verbis utar (de or. 3, 37, 149), quasi alieno in loco collocarat: v. *notio:* Top. 7, 31: notionem appello, quam Graeci tum *ἔννοιαν*, tum *πρόληψιν*; fin. 3, 6, 21: *intellegentiam* vel notionem potius, quam *ἔννοιαν* appellant illi; cf. ibid. 10, 33. Tusc. 1, 24, 57: insitae et quasi consignatae in animis notiones, quas *ἐννοίας* vocant; cf. 4, 24, 53; n. d. 1, 14, 37: notio animi; ib. 2, 5, 13: informatas deorum notiones; pariter equidem 3, 7, 16 pro „formatas“ legendum existimo „informatas“; n. d. 1, 18, 46 appellantur *primae notiones*. *Notitia:* Ac. pr. 2, 7, 22: falsae notitiae, *ἐννοίας* enim notitias appellare tu videbare; ib. 10, 30: notitiae rerum, quas Graeci tum *ἐννοίας*, tum *προλήψεις* vocant; cf. ib. 12, 38. 46, 142. leg. 1, 8, 24. fin. 5, 21, 59: natura ingenuit sine doctrina notitias parvas rerum maximarum; Top. 7, 31: notitiam interpretatur: „ea est insita et ante percepta (cf. supra „antecepta“) cuiusque formae *cognitio:* similiter *cognitio:* n. d. 1, 14, 36; perceptae cognitiones deorum: 17, 44: insitas vel potius innatas cognitiones; fin. 2, 5, 16: extorquere ex animis cognitiones verborum. *Intellegentia:* leg. 1, 9, 27: prima et inchoata intellegentia; similiter ib. 10, 33. 16, 44. 22, 59: „quoniam *principia* rerum omnium, quasi adumbratas intellegentias, animo ac mente conceperit.“

Cum cognitionibus et intellegentiis cohaerent atque conexa sunt *visa* et *comprehensiones*. Ac. pr. 2, 6, 18: si illud esset, sicut Zeno definiret, tale *visum*, — iam enim hoc pro *φαντασίᾳ* verbum satis hesterno sermone trivimus; Ac. post. 1, 11, 40: quam ille *φαντασίαν*, nos visum appellemus licet et teneamus hoc verbum; erit enim utendum saepius. cf. Acad. pr. 2, 7, 22. 10, 30. 11, 36. 13, 40. 14, 44. 15, 47. 47, 145. fin. 3, 9, 31 et in aliis horum librorum locis nunquam explicat hoc vocabulum, sed simpliciter ponit sine ulla excusatione, id quod prorsus consentaneum est eis, quae supra (parte I. p. 46) demonstravimus, ut libros de finibus posteriores esse Academicis probaremus. Pariter v. „visum“ reperitur: n. d. 1, 25, 70; fat. 19, 44; *visio:* Ac. pr. 2, 11, 33; Tusc. 2, 18, 42; n. d. 1, 37, 105; *visus* n. d. 1, 5, 12.

Haec visa percipiuntur comprehensione: Ac. pr. 2, 6, 17: „quid esset *cognitio* aut *perceptio* aut, *si verbum e verbo volumus, comprehensio*, quam *κατάληψιν* illi vocant“; ibid. 10, 31: istam *κατάληψιν*, quam verbum e verbo exprimentes comprehensionem dicemus; 47, 145: (Zeno) comprehensionem illam esse dicebat, qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, *κατάληψιν* imposuit. Ac. post. 1, 11, 41: cum approbatum esset (visum), comprehensionem appellabat. cf. ibid. 42. fin. 3, 5, 17: rerum cognitiones, quas vel *comprehensiones* vel *perceptiones* vel si haec verba aut minus placent aut minus intelleguntur, *καταλήψεις* appellemus licet. Ac. post. 1, 11, 41: id visum, cum ipsum per se cerneretur, *comprehendibile* — feretis hoc? Nos vero, inquam: quonam enim alio modo *καταληπτὸν* diceres? sed *ἀκατάληπτον* non ausus est v. „incomprehendibile“ transferre, dicit enim Ac. pr. 2, 6, 18: cum negaret quidquam esse, quod comprehendi posset, id enim volumus esse *ἀκατάληπτον*. Interdum duo verba coniungit, ut Ac. pr. 2, 32, 101: perceptio et comprehensio; fin. 3, 15, 49: cognitiones comprehensionesque rerum. Pariter actio ipsa a Cicerone exprimitur verbis modo *cognoscendi*, modo *comprehendendi*, modo *percipiendi:* percipere: Ac. pr. 6, 18. 7, 21. 8, 26 (ib. 31, 99 perceptio); ibd. 2, 11, 34: perspicua (ἐναργῆ) a perceptis volunt distinguere: cf. n. d. 1, 5, 12.

Sed multo saepius duo vel tria coniunguntur: percipere et comprehendere: Ac. pr. 2, 7, 22. 8, 26. 9, 28. 11, 34. n. d. 2, 59, 147 et saep.; cognoscere et comp. n. d. 2, 2, 5; percipere et cognoscere: Ac. pr. 2, 6, 18; 8, 23; ibd. 2, 8, 23: nihil comprehensi, percepti, cogniti. fat. 6, 11 prorsus alia vi praeditum est verbum *perceptum*: percepta appello, quae dicuntur Graece *θεωρήματα*.

Comprehensio coniuncta est cum *assensione*, ut ipse Cic. ait: Ac. pr. 2, 12, 37: comprehendi multa ac percipi sensibus, quod fieri sine assensione non potest; ibd: de *assensione* atque *approbatione* pauca dicemus; pariter 12, 45: assensio approbatioque. Postea semper his verbis utitur vel coniunctis vel alterutro; cf: Ac. pr. 2, 12, 38, 39. 17, 53; 19, 62 et plurimis al. l.: Tusc. 4, 7, 15. n. d. 1, 1, 1. fat. 17, 40. 18, 42. 19, 43. 44. Tim. 8; forma *assensus:* Acad. pr. 2, 12, 39. 33, 107, 108. fin. 3, 9, 31: assensus suos firme sustinere. Similiter usurpantur v. *assentiri* et *approbare*. Ac. pr. 2, 12, 39: „quibus assensa est et quas approbavit“; cf. ib. 31, 99. 32, 104 et mult. al. l. Ac. pr. 2, 31, 99: „sensibus probanda“; ibid: probatio. Sed homo assensionem etiam potest non reddere (Ac. pr. 2, 12, 37), id quod Graeci appellabant ἐπέχειν, ἐποχήν. Hac in re maxime memorabilis est hic locus: Att. 13, 21 ex anno 709 p. u. c. „*Inhibere* illud tuum (Attico auctore v. ἐπέχειν vocabulo inhibendi transtulisse videtur), quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. Semper Carneades .... *retentionem* aurigae similem facit ἐποχῇ. Vides quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore aut de Pollione.“ Et sane hoc certe facile concedemus Ciceronem, etsi ipsas Graecorum philosophorum sententias haud raro parum perspexit, ad singula verba interpretanda summam diligentiam adhibuisse, id quod ex tota nostra disputatione manifeste apparet. Itaque Ac. pr. 2, 18, 59 ἐποχὴν interpretatus est *retentionem* assensionis; aliquoties utitur verbo *sustinendi*, ut Ac. pr. 2, 17, 53; 31, 98; fin. 3, 9, 31: assensus suos firme sustinere; n. d. 1, 1 „*cohibere*“: a rebus incertis (ἀδήλοις) assensionem cohibuisse; Ac. pr. 2, 21, 68 (varietatis causa, ut opinor; paulo ante enim dixerat: sustinenda est potius omnis assensio); pariter ibid. 29, 94: „a certis et illustribus cohibes assensum.“ Haec *certa et illustria* Graece nominantur ἐναργῆ, quibus necessario reddendus est assensus. Inprimis l. Ac. pr. 2, 6, 17 notandus est: „nihil clarius ἐναργείᾳ,

ut Graeci: *perspicuitatem* aut *evidentiam* nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba." ib. 12, 38: necesse est animum *perspicuis* cedere; non potest obiectam rem *perspicuam* non approbare. Ac. pr. 2, 31, 99. 33, 105 simpliciter utitur v. *perspicuitas*; cf. fin. 4, 4, 8; n. d. 1, 5, 12: visus quidam insignis et illustris (*ἐναργής*); Ac. pr. 2, 17, 54: ea dico *incerta*, quae *ἄδηλα* Graeci. Quintil. 6, 2, 32 Ciceronem *ἐνάργειαν* refert interpretatum esse *illustrationem*.

Ac. pr. 2, 29, 95 Cicero dicit fundamentum esse dialecticae „quidquid enuntietur, id autem appellant *ἀξίωμα*, quod est *quasi effatum*, aut verum esse aut falsum." ibd. 30, 95: „effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit; Tusc. 1, 7, 14: omne *pronuntiatum*, sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem *ἀξίωμα*; utar post alio, si invenero melius." fat. 1, 1: „*enuntiationum*, quae Graeci *ἀξιώματα* vocant." Hanc interpretationem postea pro optima habuisse videtur, quia cum illa semel tantum tentasset, hoc nomen multo saepius usurpavit; cf. 10, 20. 21. 11, 26. 12, 28. 16, 37; interdum utitur forma: *enuntiatum*: 9, 19. 12, 28; v. *enuntiare*: 10, 21. 16, 37. De verbo assumptionis, etsi partim ad disserendi artem pertinet, ne variae eiusdem vocabuli significationes divellantur, infra dicemus § 4.

Quoniam de dialecticae fundamentis disputavimus, ad ipsam argumentandi rationem, quae propria est dialecticae, transeamus; cuius partis multa verba supra in loco de rhetorica commemoravimus. *Συλλογισμὸν* plerumque interpretatur „*conclusionem*" vel „*rationis conclusionem*". Fin. 1, 9, 30: interest inter argumentum conclusionemque rationis; ibd 3, 8, 27: concluduntur argumenta sic; 4, 4, 8: argumentum ratione conclusum, cf. Ac. pr. 2, 21, 67. Tusc. 5, 16, 47. div. 2, 49, 101. Ac. pr. 2, 24, 75: contorta et aculeata quaedam *σοφίσματα*, sic enim appellantur *fallaces conclusiunculae*; Tusc. 2, 18, 42: contortulae quaedam ac minutae *conclusiunculae*. Certa quaedam forma conclusionis (*ἐρώτημα*) fat. 13, 29 verbum ex verbo convertitur: *interrogatio*; cum contemptu quodam, ut verba, quae supra attulimus fin. 1, 11, 39: in hac interrogatiuncula; ib. 4, 3, 7: interrogatiunculae angustae. Parad. prooem. 2: minutae interrogatiunculae. Apud. Sen. ep. 111, 1 legimus Ciceronem verbo „cavillationes" interpretatum esse *σοφίσματα*, quod verbum in eis libris, qui exstant, non reperitur. De complexione (*δίλημμα*, quod vocabulum non ante Servium grammaticum in linguam Lat. receptum invenitur) supra diximus. *Ἀργὸς λόγος*: fat. 12, 28: illa *ignava ratio*, quae dicitur; appellatur enim quidam a philosophis *ἀργὸς λόγος*, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita; ibd. 13, 29: recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est. *Soritam* Cicero ipse dicit satis tritum esse sermone Latino, itaque eo verbo utitur. Hortens. fragm. Ac. pr. 2, 48, 147. Cf. div. 2, 4, 11: „quomodo autem *mentientem*, quem *ψευδόμενον* vocant, dissolvas? aut soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat *acervalem* appellare; sed nihil opus est; nam sorites satis Latino sermone tritus est." cf. Ac. pr. 2, 16, 49 (ubi soritam explicat: „soritas hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano"); ibd. 28, 92. 29, 94. 33, 107. fin. 4, 18, 50.

Restat, ut singula quaedam verba commemorem, quae ad dialecticam pertinent, sed eis generibus, de quibus modo disseruimus, non poterant attribui.

Sidon. Apollinar. ep. carm. 14: „Lecturus es hic etiam novum verbum *essentiam* ... sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem": qui locus haud scio an nitatur altero, quem invenimus ap. Sen. ep. 58, 4, qui et ipse Ciceronem hoc verbum primum finxisse dicit. Attamen huius verbi forma mihi adeo non videtur consentanea esse Ciceronis consuetudini, ut, num fides habenda sit illis scriptoribus, valde dubitem.

Ἀναλογίαν Tim. 4 ita interpretatur: „quae Graece *ἀναλογία* — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — *comparatio proportiove* dici potest"; ita sine explicatione hoc verbum usurpat: Tim. 7. 8. n. d. 2, 20, 51;

εὔλογος = cum ratione Tusc. 4, 6, 13; similiter ib: *ἄλογος*: „sine ratione animi elatio" (*ἔπαρσις*); ib: „a ratione aversa"; *ὀρθὸς λόγος* = omnis recta ratio Tusc. 4, 15, 34.

V. *dialogus* Cic. saepius utitur in epistulis et Brut. 60, 218; or. 44, 151 dicit: in sermonibus, qui dicuntur *διάλογοι*;

κατηγορήματα: „quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae *κατηγορήματα* dialectici appellant" Tusc. 4, 9, 21;

ποιητικός: alia *efficientia*, quae Graeci *ποιητικά* fin. 3, 16, 54; cf. fin. 2, 7, 21: efficientia voluptatum; fin. 5, 27, 81: cum corporis bona sint eorum conficientia (*τὰ τῶν ἡδονῶν ποιητικά*);

εἱρμὸς αἰτιῶν n. d. 1, 20, 55: continuatio causarum;

ἕξις, διάθεσις Tusc. 4, 13, 29: vitiositas est *habitus* (v. ex v. ἕξις) aut *affectio* (*διάθεσις*) in tota vita inconstans; cf. ib. 15, 34. V. *habitus* propter brevitatem et perspicuitatem ab omnibus posterioribus philosophis usque ad nostram aetatem est usurpatum.

Aristotelis *ἐνδελέχειαν* Tusc. 1, 10, 22 interpretatus est: quasi quaedam motio et perennis continuatio.

ἐπιγεννηματικόν fin. 3, 9, 32: posterum quodammodo et consequens, quod illi *ἐπιγ.* appellant.

Verbum *πάσχειν* (cuius significatio in philosophia opposita est verbo *ποιεῖν* = agere): Ac. post. 1, 7, 26: aër et ignis movendi vim habent et efficiendi, reliquae partes *accipiendi et quasi patiendi;* n. d. 3, 12, 29: *quasi ferendi et patiendi.* (Tusc. 4, 23, 51 audet fabricari verbum: patibilis; cf. n. d. 3, 12, 29; impetibilis: fin. 2, 17, 57).

Κριτήριον vario modo interpretatur: Ac. pr. 2, 26, 84 simpliciter: *iudicium*, ibid: *nota;* accuratius 26, 86: *distinctio in agnoscendo:* 34, 110: cognitionis nota; n. d. 1, 5, 12: certa iudicandi et assentiendi nota; ib. 16, 43 *regula* et iudicium; Lael. 17, 62: *quasi signa quaedam* ac notae.

V. *ποιότης* haud facile potuit transferre verbo Latino iam usitato, quod intellegeretur; itaque verbo inaudito *qualitatis* hoc vocabulum ausus est interpretari. Sed quam diligens atque adeo cautus ac timidus fuerit in verbis novis fingendis, aperte ostendit multis excusationibus, quibus eam audaciam esse defendendam existimavit. Ac. post. 1, 6, 24: „id quasi qualitatem quandam nominabant; dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis utamur verbis interdum inauditis.“ ibid. 7, 25: „qualitates igitur appellavi, quas *ποιότητας* Graeci vocant: quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum. Dialecticorum vero verba nulla sunt publica: suis utuntur. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in his rebus tot iam saecula versantur; quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur?“ ibd. 27: „carentem omni illa qualitate, faciamus enim tractando usitatius hoc verbum et tritius“: cf. 28: illa vis, quam qualitatem esse diximus; ibd: illa effici, quae appellant *qualia;* n. d. 2, 37, 94: qualitate aliqua, quam *ποιότητα* Graeci vocant. Quintilianus postea etiam novo verbo „quantitatem“ auxit linguam Latinam.

Τὰ συμβεβηκότα n. d. 2, 32, 82 interpretatus est: „quae his *accidant*“; quae hodie quoque apud philosophos appellantur accident(al)ia.

Partim ad dialecticam, partim ad physicam haec spectant, quae ob eam causam ponimus extrema: *Εἰκών, εἴδωλον*: off. 3, 3, 13: *similitudines* honesti; ibid. 1, 5, 14: *forma* ipsa et *tamquam facies* honesta; fin. 1, 6, 21: *imagines,* quae *εἴδωλα* Graeci nominant; cf. n. d. 1, 12, 29. 38, 107. 43, 120 (imagines divinitate praeditas); n. d. 2, 30, 76: Democritus *simulacra* et Epicurus imagines inducens.

§ 3. Physica.

Verba „physicus“ et „physica“, Ciceronis temporibus, ut ipse ait, communi consuetudine in linguam Latinam iam pridem erant recepta. Quare Ciceronis ipsius testimonio nisus haud assentior Bernhardtio, qui in libello, quem supra nominavi, Ciceronem cum timiditate quadam id verbum peregrinum usurpasse dicit. Plurimis enim locis id vocabulum reperimus tractatum. Tamen consuetudinem suam secutus, ut verbum philosophiae, hoc quoque saepe Latine interpretatus est. Praeter eos locos, quos § 1 attulimus, hi memorentur: n. d. 1, 30, 83: physicum, id est *speculatorem venatoremque naturae*; Tim. 1: acer investigator et earum rerum, quae a natura involutae videntur. Ac. post. 1, 9, 34: *investigatio naturae*; fin. 5, 4, 9: rerum occultarum cognitio: 4, 10: investigatio rerum occultissimarum; 5, 11: *explicatio* naturae; Tusc. 5, 24, 68: cognitio rerum et explicatio naturae. cf. div. 2, 63, 129. Similem vim habet v. *φυσιολογία.* Div. 1, 41, 90: *naturae rationem*, quam *φυσιολογίαν* Graeci appellant; n. d. 1, 8, 20 *φυσιολογίαν*, id est naturae rationem (v. peregrinum physiologia: div. 2, 16, 37; n. d. 1, 15, 41). Ex interpretatione

ipsa patet longe aliam vim apud Cic. habere v. physiologiae atque apud physicos nostrae aetatis.

De *κόσμῳ* dicit Tim. 10: bene Graeci *κόσμον*, nos *lucentem mundum* nominaremus; v. *κόσμιος* in narratione illa de Socrate transtulit Tusc. 5, 37, 108: *mundanus: τὰ μετακόσμια* fin 2, 23, 75 appellavit *intermundia.* cf. div. 2, 17, 40: habitantes inter duos mundos. *Στοιχεῖα* modo elementa, modo initia, modo principia appellavit. Ac. post 1, 7, 26: illa *initia* et, ut e Graeco vertam, *elementa* dicuntur; fin. 3, 5, 19: sunt quasi prima elementa naturae; Tusc. 1, 10, 22: quattuor nota illa genera *principiorum,* e quibus omnia orirentur. ibid. 18, 42: terrenum principiorum genus (cf de leg. 1, 21, 59); Tusc. 5, 24, 69: indagatio initiorum et *tamquam seminum,* unde essent omnia orta. cf. Ac. pr. 2, 36, 116. 117.

Hac occasione usi commemoremus: *puerorum elementa* = *στοιχεῖα* de or. 1, 35, 163; initia = *τελεταί, μυστήρια* leg. 2, 14, 36; initiari eo ritu = *μυεῖσθαι* leg. 2, 15, 37.

Verbum peregrinum „*atomus*“ plurimis locis usurpat sine interpretatione, ut fin. 1, 6, 19. n. d. 1, 23, 65; tamen saepe quoque aut verbum Graecum explicat, ut fin. 1, 6, 17: „atomos, quas appellat, id est *corpora individua*“. Ac. post. 1, 2, 6: „de *corpusculorum*, ita enim appellat (Amafinius) atomos, concursione“; aut verbum Latinum solum ponit. adi. *individuus*: n. d. 1, 23, 65. 24, 67. 36, 92 et al. l.; subst.: individuum = atomus: fin. 2, 23, 75. n. d. 1, 19, 49. fat. 9, 18; adi. dividuus, quod iam ap. Plaut. Rud. 5, 3, 53 reperitur: n d. 3, 12, 29 (coniungit: dissolubile et dividuum): dissolubilis coagmentatio ibd. 1, 8, 20; indissolubilia (*ἄλυτα*) Tim. 11.

Tractabile (*ἁπτόν*) Tim. 4. adspectabile (*ὁρατόν*) ibid; *στερέμνια* longa circuitione explicat n. d. 1, 19, 49: ut ea, quae ille propter firmitatem *στερέμνια* appellat, sed imaginibus (*εἰδώλοις*) similitudine et transitione (v. ex v. *μεταβάσει καθ' ὁμοιότητα*) perceptis.

Τὸ ἄπειρον infinitatem appellavit Ac. pr. 2, 37, 118: Anaximander infinitatem naturae dixit esse, ex qua omnia gignerentur; eodem vocabulo reddidit *ἀπειρίαν*, fin. 1, 6, 21: infinitatem, quam *ἀπειρίαν* vocant; cf. n. d. 1, 11, 28. 19, 50. 26, 73.

Λόγον σπερματικόν multis verbis explicavit n. d. 2, 34, 86: omnium rerum *seminator* et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor.

In omnibus rebus est *ἡγεμονικὸν* quiddam, quod optime interpretatus est Seneca ep. 92, 1 v. „principale“. Minus audacter ob eamque rem parum perspicue Cicero n. d. 1, 15, 39: (mundi) ipsius *principatus;* ib. 2, 11, 29: omnem naturam necesse est, quae non solitaria sit neque simplex, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in belua quiddam simile mentis .... In arborum autem et earum rerum, quae gignuntur e terra (*φυτά*), inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Graeci *ἡγεμονικὸν* vocant, quo nihil in quoque genere nec potest nec debet esse praestantius.

Ἁρμονίαν rerum naturae significat div. 2, 70, 144: vis *consensus* naturae; accuratius ad verbum Tim. 8: *ratio concentioque.*

Etiam nonnullarum stellarum nomina transtulit Cicero n. d. 2, 20, 52 et 53: „ea quae Saturni stella dicitur *Φαίνων* que a Graecis nominatur; Iovis stella, quae *Φαέθων* dicitur; *Πυρόεις*. quae stella Martis appellatur; stella Mercurii *Στίλβων* appellatur a Graecis; stella Veneris, quae *φωσφόρος* Graece, Lucifer Latine dicitur“; ideo pro certo habeo ea, quae sequuntur et nunc ita leguntur: „Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem, "*Ἕσπερος*“ non recte esse tradita, sed legendum esse *Vesper.* Vocabulum *πλανήτης*, quod multo post Ciceronis aetatem in linguam Latinam receptum est, eodem fere semper modo Latine vertit: rep. 1, 14, 22: quinque stellae, quae *errantes et quasi vagae* nominarentur; Tusc. 1, 25, 62: astra illa non re, sed vocabulo errantia, ibd 63: quinque errantium motus; n. d. 1, 13, 34: vagae, errantes stellae; cf. 1, 31, 87; 2, 20, 51; 24, 88. 40, 103; 46, 119. div. 2, 6, 17. 42, 89. 71, 146; voc. *inerrantes* stellae: n. d. 2, 21, 54; 31, 80; 40, 104.

Κομήτας ita interpretatur n. d. 2, 5, 14: stellis eis, quas Graeci *κομήτας* (ita enim scribendum esse secundum Ciceronis consuetudinem credo, non cometas) vocant, nostri *cincinnatas* (ita hodie legitur secundum optimos codices, non *crinitas*, quod verbum propius accederet ad vocabalum Graecum et apud posteriores aliquot scriptores invenitur); v. cincinnatus quidem et

ipsum origine Graecum est, sed certe ab omnibus habitum est pro Latino.

Ἀνέλιξιν mundi vocat *replicationem quandam* n. d. 1, 13, 33, solis aut lunae *ἐκλείψεις defectiones* div. 2, 6, 17: *ἀκοντισμὸν ἀστέρων* significasse videtur verbo: *traiectiones stellarum* div. 2, 6, 16.

Vocabulum sphaerae iamdudum in linguam Latinam receptum saepe usurpavit Cicero; cf. n. d. 2. 21, 55. 34, 88. fat. 15. Tusc. 1, 25, 65 aliisq. l.; sed verbum Latinum „*globus*“ ea significatione nondum satis usitatum fuisse apparet ex excusatione eius interpretationis n. d. 2, 18, 47: ex solidis globus — sic enim *σφαῖραν* interpretari licet — ex planis autem circulus aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur. *Globosus:* Tim. 6: globosum, quod *σφαιροειδὲς* Graeci vocant; n. d. 2, 39, 98: solida et globosa; cf. ib. 2, 19, 49. 45, 116; 39, 98: conglobatus; cf. Ac. pr. 2, 37, 118: conglobata natura. Voc. *κέντρον* Cicero non recepit in linguam Latinam, sed ita transfert Tusc. 1, 17, 40: „terram in medio mundo sitam ad universi caeli complexum (= *σφαῖρα*) quasi *puncti instar* obtinere, quod *κέντρον* illi vocant.“ Sed cum hoc verbum aliam vim habere soleret, a posteris non receptum est, sed v. peregrinum *centrum*, quod saepe invenimus ap. Plin. Vitr. cf. n. d. 2, 45, 116: medius terrae locus; Tusc. 1, 28, 68: medius mundi universi locus.

Ἀντίποδας ita explicat potius, quam interpretatur Ac. pr. 2, 39, 123: dicitis esse e regione nobis, e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos *ἀντίποδας* vocatis. *Ἀντίχθων*: Tusc. 1, 28, 68: duabus oris ... quarum altera *australis*, quam vocant *ἀ.* cf. n. d. 2, 19, 50: regio australis; rep. 6, 20. 21: australis ille, in quo, qui insistunt, adversa nobis urgent vestigia.

Ζωδιακός: div. 2, 42, 89: orbis, qui Graece *ζ.* dicitur. *Ὁρίζοντες* (*κύκλοι*): div. 2, 44, 92: orbes, qui a Graecis *ὁρ.* nominantur, a nobis *finientes* rectissime dici possunt.

Πυροειδής, ἔνθερμος: Tusc. 1, 18, 42: animus ex *inflammata* anima constat; n. d. 3, 14, 36: videtur tale quiddam esse animum, ut sit ex igni et anima temperatum (*ἀὴρ πυροειδής*).

Σῶμα ἔχων = corporatus Tim. 2; ibd. 4, 8: corporeus; n. d. 1, 12, 30: sine corpore vult esse deum, ut Graeci dicunt *ἀσώματον*. Ad corpus humanum haec pertinent: *μεσεντέριον* medium intestinum n. d. 2, 55, 137; *ἐπιγλωττίδα* ob linguae inopiam vocat: „quoddam quasi operculum“ n. d. 2, 54, 136.

Ex bestiis eas, quae vocantur *ἀμφίβια*, ita exprimit n. d. 1, 37, 139: *quasi ancipites in utraque sede viventes.* Cum Lat. lingua egeret proprio verbo, quo bestiarum *ψυχὴ* posset exprimi, n. d. 2, 11, 29 interpretatus est: *quiddam simile mentis.*

Lingua Latina nullum verbum habet, quod proprie significet *τὰ φυτά*; v. plantae enim longe angustiorem vim habere constat (cf. Cat. M. 15). Itaque vario modo hoc verbum interpretatur Cicero: fin. 4, 5, 13: *quae gignuntur* e terra; cf. 5, 4, 10. 9, 26. 11, 33. Cat. M. 15, 52: omnium, quae generantur e terra; n. d. 2, 10, 28: ea, quorum *stirpes terra continentur;* ibd. 33, 83: ea quae a terra stirpibus continentur. Brevius ea convertere ausus est Sall. Iug. 79, 6: loca nuda *gignentium;* cf. Iug. 93, 4: cuncta gignentium natura fert; Seneca ea appellat: *nascentia* ep. 79.

Tota rerum natura *συμπαθείᾳ* quadam continetur *ἁρμονίᾳ*, de qua supra diximus, simili. n. d. 11, 28: est (in natura) iste *quasi consensus,* quam *συμπάθειαν* Graeci vocant; div. 2, 14, 34: qua ex *cognatione* naturae et *quasi concentu et consensu*, quam *συμπάθειαν* Graeci appellant. ibd 60, 124: ex quadam *convenientia et coniunctione* naturae, quam vocant *συμπάθειαν*; ibd. 69, 142: quae est *continuatio* coniunctioque naturae. 70, 144: vim consensumque naturae; sed etiam verbum Graecum ipsum legitur: ibd. 143.

Quoniam apud veteres nomen physicae multo latius patuisse constat, hoc loco aliqua verba afferemus, quae ad res sacras vel ad deorum religiones spectant.

Ζεὺς Ξένιος Juppiter Hospitalis: fin. 3, 20, 65;

Nomen *Σωτὴρ* Cicero ipse Verr. 2, 63, 154 Latine non posse verti dicit, sed ita explicat: est nimirum *σωτήρ*, qui salutem dedit; tamen aliquoties uno verbo interpretatur: Sest. 67, 141: conservator patriae, cf. dom. 10, 26. 38, 101: servator; fin. 3, 20, 65 *Ζεὺς σωτὴρ* appellatur: *salutaris.*

Mirum est Ciceronem inter multa deorum nomina Graeca n. d. 3, 22, 56 *Ἴσχυν* interpretari Valentem.

Δαίμονας Tim. 11 appellat *Lares:* quos Graeci *δαίμονας*, nostri ut opinor Lares, si modo hoc recte conversum videri potest. *Δαιμόνιον* Socratis ita explanat: esse *divinum quiddam*, quod *δ.* appellat, cui semper ipse paruerit. div. 1, 54, 122.

Θεὸν περίεργον καὶ πολυπράγμονα convertit n. d. 1, 20, 54: curiosum et plenum negotii.

Πρόνοια Stoicorum: n. d. 1, 8, 18: anum fatidicam (= *γραῦς χρησμολόγος*) Stoicorum *πρόνοιαν*, quam Latine licet *providentiam* dicere: cf. ib. 20. 9, 22. 2, 22. 58: vel prudentia vel providentia appellari recte possit, Graece enim *πρόνοια* dicitur; cf. ib. 29, 73.

Εἱμαρμένη: div. 1, 55, 125: *fatum* autem id appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, id est ordinem seriemque causarum; n. d. 1, 20, 55: illa *fatalis necessitas*, quam *εἱμ.* dicitis; Tim. 12: leges fatales ac necessariae; inauditum verbum *confatalis* novavit fat. 13, 30: „tam enim est fatale medicum adhibere, quam convalescere. Haec confatalia (*συνειμαρμένα*) ille (Chrysippus) appellat“.

Μαντική: div. 1, 1, 1: *divinatio*, quam Graeci *μαντικὴν* appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum. cf. leg. 2, 13, 32; n. d. 1, 20, 55; div. 1, 43, 95: divinos quosdam sacerdotes, quos *μάντεις* vocant (v. „vates“ omnino non idem significat quod *μάντις*).

§ 1. Ethica.

Cum primam et secundam philosophiae partem Cicero saepe verbis Graecis nominaverit, verbum „ethica“ apud eum nusquam reperitur. (Una derivatio apud eum invenitur: ethologus [mimus] de or. 2, 59, 242. 60, 244.) Quoniam autem haec philosophiae pars, quippe quae moribus eorum esset consentanea, maxime probabatur, etiam quod ad verborum interpretationem attinet, hoc genus latissime patet. Ac primum quidem nomen ipsum *ἠθικῆς* varie convertit. Optima certe translatio ea est, quam tentavit fat. 1, 1: quia pertinet ad mores, quod *ἦθος* illi vocant, nos eam partem philosophiae *de moribus* appellare solemus, sed decet augentem linguam Latinam nominare *moralem*. Hoc nomen

propter brevitatem et perspicuitatem praeter nomen Graecum adhuc vigere constat; cetera omnia circumlocutiones potius, quam interpretationes sunt dicenda. De or. 1, 15, 68: *vita atque mores;* Brut. 8, 31: haec (philosophia), in qua de *bonis rebus et malis* deque hominum *vita et moribus* disputatur; fin. 4, 2, 5: quarum una, qua mores conformari putantur; 4, 4, 8 aperte *summum bonum* totam ethicam significat per *συνεκδοχήν*: „sequitur disserendi ratio cognitioque naturae. Nam de summo bono mox videbimus.“ Ac. post. 1, 2, 6: „haec ipsa de vita et moribus, de expetendis fugiendisve rebus“; ibd. 4, 15: ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret; 5, 19: pars illa bene vivendi; cf. 9, 34. 10, 39. Tusc. 3, 4, 8. 4, 15, 34; ibd. 5, 24, 68: in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum *arteque bene vivendi.*

Perspicuum est ex eis, quae exposuimus, Ciceronis aetate adiect. terminata in — alis nondum satis fuisse usitata; ita v. „rationalis“ quod tam saepe aptissimum fuit in dialectica, nondum ausus est novare. Hoc quoque facile cognoscimus in posterioribus libris aliquanto liberiorem esse Ciceronem in verbis inusitatis fabricandis, ac plerumque ea ipsa erant meliora atque a posterioribus philosophis sunt recepta: ita tres philos. partes Quint. vocat rationalem, moralem, naturalem. Denique Ciceronem videmus raro uno verbo interpretari Graecum, sed plerumque, quo magis res intellegatur, duo vel plura coniungere.

Ex loco, quem supra attulimus (fin. 4, 4, 8), hanc philosophiae partem apparet praecipue positam fuisse in disputatione *περὶ τελῶν*. Libros quinque de finibus ipse appellat „q. l. *περὶ τελῶν*“ Att. 13, 19, 4. Fin. 1, 12, 42: „id est vel *summum bonorum* vel *ultimum* vel *extremum*, quod Graeci *τέλος* nominant, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes.“ cf. fin. 3, 7, 26: sentis me iam diu, quod *τέλος* Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum, licebit etiam *finem* pro extremo aut ultimo dicere. Saepissime in hoc quoque genere plura verba coniungit, ut fin. 1, 4, 11. 9, 29. 2, 3, 6. Tusc. 5, 25, 71; off. 1, 2, 5. Voc. *τελικά* fin. 3, 16, 55 ita convertit: bonorum alia *ad illud ultimum pertinentia* — sic enim appello, quae *τελικά* dicuntur; nam hoc ipsum instituamus, ut

placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intellegatur, alia efficientia, quae Graeci *ποιητικά*. Acerrima inter philosophos erat contentio, num quid interesset medium inter bonum et malum; severissimi Stoici id negaverunt, alii hanc doctrinam mitiorem reddere studuerunt, cum tria genera distinguerent: bona et mala et media vel indifferentia (*ἀδιάφορα*) Sed haec media ipsa dividebantur in *προηγμένα* et *ἀποπροηγμένα*, quia alia haberent, alia non haberent *ἀπαξίαν*. Haec quoque verba Cicero variis vocabulis Latinis interpretatus est, quo facilius res intellegeretur. Praecipuus autem locus est fin. 3, 15, 51: „hinc esse illud exortum, quod Zeno *προηγμένον*, contraque quod *ἀποπροηγμένον* nominavit, cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis.“ Deinde rationem huius verbi faciendi Zenonis exponit: 16, 52: ut enim nemo dicit in regia regem ipsum *quasi productum* esse ad dignitatem, id enim est *προηγμένον* ... sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent *προηγμένα*, id est producta nominentur; quae vel ita appellemus, id erit verbum e verbo, vel *promota* vel, ut dudum diximus, *praeposita* vel *praecipua* et illa *reiecta*. Re enim intellecta in verborum usu faciles esse debemus. fin. 3, 4, 15 ipse quidem Cicero dicit sibi licere dicere proegmena aut apoproegmena, sed tamen ne uno quidem loco eo iure utitur, sed semper Latino nomine ad hanc vim translato utitur, nonnunquam uno, plerumque duobus vel pluribus coniunctis. ibd. 4, 26, 72: ea .... dicam Latine producta, sed praeposita aut praecipua malo, sic tolerabilius et mollius: illa autem *reiectanea*. Imprimis in libris de finibus unum alterumve ex his verbis permultis locis usurpat, quos longum est enumerare; v praeponere: fin. 3, 17, 56. 4, 16, 43 etc.; praepositio: 3, 16, 54; anteponere: fin. 2, 12, 38. 3, 15, 51. Sed alia verba apud Graecos philosophos omnia minutissime distinguentes inveniuntur, quae huc pertinent: ut enim bona essent expetenda, mala fugienda, ita quae essent inter bonum et malum, non expetenda sed legenda (*ἐκλεκτέα*), vel sumenda (*ληπτέα*) esse, non fugienda (*φευκτέα*), sed quasi secernenda (*ἀπεκλεκτέα*) esse; cf. fin. 4, 26, 72. Ita legere: fin. 4, 15, 40. 17, 46. 26, 72. eligere: fin. 2, 12, 38. 4, 25, 71. 5, 29, 88. selectio: ibd. 2, 13, 43. 3, 4, 12 6, 20 aliisque l. seligere: fin. 3, 9, 31. v. sumere: fin. 3, 6,

20. 17, 57. 4, 20. 17, 46 et al. l., adsumere: fin. 4, 16, 43; reiecta: fin. 3, 4, 15. 16, 52; reiectio: fin. 3, 6, 20; reducta: fin. 5, 30, 90; remota: 3, 16, 52.

Longe aliam vim habet verbum idem *assumendi* in dialectica, quam hoc loco memorandam, cum de rhetorica disputaremus, reservavimus. Div. 2, 53, 108: demus tibi istas duas *sumptiones*, ea quae *λήμματα* appellant dialectici, sed nos Latine loqui malumus, *assumptio* tamen, qua *πρόσληψιν* eidem vocant, non dabitur; cf. ib. 109: assumit autem Cratippus hoc modo ... Assumptione non concessa nulla conclusio est. Ita „assumere“ sine explicatione iam invenitur: inv. 1, 34, 59. cf. ibid. 35, 60. 36, 63. div. 2, 51, 106. assumptio: inv. 1, 34, 59. 35, 60. 36, 64 et saep; sumere: div. 2, 50, 104. 52, 107. n. d. 1, 31, 89: beatos esse deos sumpsisti. —

Sed redeamus ad ethicam: „Commoda autem et incommoda in eo genere sunt, quae praeposita et reiecta dicimus“. fin. 3, 21, 69. ibid: incommoda autem et commoda, ita enim *εὐχρηστήματα* et *δυσχρηστήματα* appello. Ibd: emolumenta et detrimenta, quae *ὠφελήματα* et *βλάμματα* appellant. cf. Tusc. 5, 41, 120. n. d. 1, 7, 16. fin. 3, 10, 33.

Distinctionem autem inter praecipua et reiecta supra diximus positam fuisse in aestimatione, de qua haec dicit Cicero fin. 3, 6, 20: *aestimabile* esse dicitur, sic enim, ut opinor, appellemus ... id quod selectione dignum sit, propterea quod aliquod pondus (quo v. Cicero mihi videtur indicare velle rectam etymologiam verbi *ἄξιος*) habeat dignum aestimatione, quam illi *ἀξίαν* vocant, contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium. cf. 3, 10, 34. Ac post. 1, 10, 36. fin. 3, 16, 53: „idque ita definimus, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri: quod enim illi *ἀδιάφορον* dicunt, id mihi ita occurrit, ut *indifferens* dicerem, neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in *mediis*.“ „Media“ etiam appellat: Ac. post. 1, 10, 36. fin. 3, 17, 58. 18, 59. *Neutra* (*οὐδέτερα*): inv. 2, 53, 159: rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia; fin. 3, 15, 50: alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum; cf. Tusc. 4, 12, 28. *Ἀδιαφορίαν* Zenonis interpretatur: neutram in partem moveri, quae *ἀδιαφορία* ab ipso dicitur: Ac. pr. 2, 42, 130.

Haec doctrina de finibus conexa est cum praeceptis de officiis. Cicero ipse hanc interpretationem defendit adversus Atticum 14, 11, 4: non dubito, quin *καθῆκον* officium sit. cf. ibd. 16, 14, 3. Sed duo genera officiorum distinguebantur: *κατόρθωμα* et *καθῆκον*. fin. 3, 7, 24: quae nos aut *recta* aut *recte facta* dicamus, si placet, illi appellant *κατορθώματα*, omnes numeros virtutis continent: ibd. 14, 45: *recta affectio, κατόρθωσιν* enim ita appello, quoniam rectum factum *κατόρθωμα*. cf. 4, 6, 15. off. 1, 3, 8: perfectum officium rectum opinor vocemus, quod Graeci *κατόρθωμα*, hoc autem *commune καθῆκον* vocant; ibd. 3, 3, 14: illud officium, quod rectum eidem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut eidem dicunt, omnes numeros habet (*πάντας ἀριθμούς*, ut supra fin. 3, 7, 24); etiam or. 21, 72 „rectum ipsum" opponitur „officio". cf. off. 3, 3, 14: haec omnia officia — *media* Stoici appellant — ea communia sunt et late patent; ibd. 15: media officia. cf. 4, 16. Ac. pr. 1, 10, 37. Tusc. 3, 5, 11: *mediocritas officiorum*; cf. or. 66, 221. off. 1, 25, 89; idem significant *„officia vitae"* fin. 4, 25, 68. Ut *κατόρθωμα* officium perfectum, ita *καθῆκον* dicitur *officium inchoatum*; fin. 4, 6, 15: inchoati cuiusdam officii est, non perfecti. Verbum *„medietas"* cum anxietate quadam usurpavit Tim. 7: vix audeo dicere medietates, quas Graeci *μεσότητας* appellant. Summum bonorum Stoici affirmabant esse *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*: fin. 3, 7, 26: congruenter naturae convenienterque vivere; Tusc. 5, 28, 82: finem bonorum esse congruere naturae cumque ea convenienter vivere; cf. off. 3, 3, 13.

In praeceptis de officiis vel maxime agebatur de *honesto*, quo verbo semper interpretatus est *τὸ καλόν*; sed saepius cum aliis coniunxit, quae idem fere significant: off. 1, 27, 93: id quod dici Latine decorum potest, Graece enim *πρέπον* dicitur; cf. 94. or 21, 70: quid deceat, videre, *πρέπον* hoc appellant Graeci, nos dicamus decorum. fin. 3, 4, 14: unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum — erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus — si nihil malum, nisi quod turpe (*αἰσχρόν*), inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum. Quam manifeste ex his multis vocabulis, quae ut unam rem significaret, congessit, oratorum potius quam philosophorum more Ciceronem tractare hanc disciplinam apparet!

Εὐπρέπειαν novo verbo ausus est convertere de or. 3, 52, 200: ad aptam compositionem et *decentiam*; n. d. 2, 58, 145: venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam.

Bonorum finem Epicurei ponebant in voluptate, quod vocabulum in promptu erat ad interpretandam *ἡδονήν*. fin. 2, 4, 13: saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco et quod idem valeat: hic nihil fuit, quod quaereremus. Nullum verbum inveniri potest, quod magis idem declaret Latine, quam declarat voluptas; cf. ibid. 2, 3, 8. 3, 10, 35. *Ἔπαρσιν ἡδονικὴν* convertit fin. 3, 10, 35: quam Stoici communi nomine corporis et animi *ἡδονὴν* appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi *elationem voluptariam*. Similiter *ἡδονικοὶ* nominantur *voluptarii*: fin. 5, 25, 74. cf. Tusc. 2, 7, 18. 5, 31, 88; adiect. voluptarius etiam reperitur: de or. 3, 25, 99: gustatus, qui est sensus maxime voluptarius ibd. 17, 62: disputationes voluptariae; fin. 1, 11, 37: „disciplina voluptaria", quae postea appellatur „mollis, delicata"; fin. 2, 20, 65: casus voluptarius. Voluptas *titillationem* quandam affert, quod v. Cic. finxit pro *γαργαλισμῷ* Epicuri: n. d. 1, 40, 113. cf. Cat. 14, 47; *titillare:* fin. 1, 11, 39: si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam („quasi", „ut ita dicam" significant novum fuisse eum illius verbi usum); cf. Tusc. 3, 20, 47. off. 2, 18, 63.

Duo autem genera voluptatum distinguebantur: *voluptas, quae sit in motu* fin. 2, 5, 16 (*ἡ ἐν κινήσει ἡδ.* quae fin. 3, 10, 33 simpliciter appellatur *motus*) et *voluptas in statu* fin. 2, 5, 16 (*ἡ ἐν στάσει ἡδ.*); brevius: fin. 2, 10, 31: „utra voluptate diudicabit, *stante an movente?*" sed memorandum est, quod addit: „quoniam, si dis placet, ab Epicuro loqui discimus." Maxima cum timiditate verbum novum *indolentia* fabricatus est, ut *ἀναλγησίαν* interpretaretur. fin. 2, 4, 11: idem voluptas est quod, ut ita dicam, indolentia; fin. 2, 6, 19: pro illa indolentia; Tusc. 3, 6, 12: ista nescio quae indolentia; sine excusatione reperitur usurpatum: Tusc. 5, 30, 85 et off. 3, 3, 12. Tamen aliquoties alio modo hoc verbum convertit: fin. 2, 6, 19: *vacuitas* doloris; fin. 2, 4, 11 audaciore verborum coniunctione: „in non dolendo"; 6, 19: „non dolere"; cf. 10, 31; atque etiam concinnitate neglecta ib. 12, 38 dicit: *voluptatis non dolendive* particeps.

Huic generi coniunctus est locus de *appetitionibus* animi, quo verbo Cicero Graecum v. *ὁρμαὶ* solet convertere. Ac. pr. 2, 8, 24: appetitio: eam enim esse volumus *ὁρμήν*, qua ad agendum impellimur; fin. 3, 7, 23: app. animi, quae *ὁρμὴ* Graece vocatur; cf. 4, 14, 39; similiter cum interpretatione Graeca: n. d. 2, 22, 58. off. 1, 28, 101. 2, 5, 18; fin. 5, 6, 17: *appetitus* animi, quem *ὁρμὴν* Graeci vocant; rarius verbum Latinum solum usurpat, ut fin. 5, 9, 24. off. 1, 29, 102. 30, 105. 36, 132. 39, 141. n. d. 3, 13, 33. Tusc. 3, 8, 17 *ὁρμὰς* appellat: *motus animi appetentes.* Eae res, quae primae appetitionem excitant quaeque prima ipsa natura duce appetuntur, a Stoicis appellabantur *πρῶτα κατὰ φύσιν*; haec Cicero varie exprimit: fin. 2, 11, 33: ea, quae prima data sunt in natura; 3, 9, 30. 4, 15, 41. 16, 43. 5, 8, 21. 16, 45: prima naturae; 5, 7, 18. 19. 16, 45. 18, 61: verbum ex verbo: prima secundum naturam; 3, 6, 22. 7, 23: principia naturae; 2, 11, 35. 3, 5, 17: principia naturalia; 2, 12, 38. 3, 6, 22: initia naturae; 2, 11, 35: prima naturalia; 3, 6, 22: primae naturae conciliationes. Ex nullo fere exemplo manifestius apparet, quam valde Cicero oratorias leges secutus a certa in philosophiae ratione nominum appellatione abhorruerit, id quod ipse suae philosophiae virtutem potius, quam vitium duxisse videtur.

Ab appetitionibus animi ad perturbationes transeamus. fin. 3, 10, 35: perturbationes animorum . . . Graeci *πάθη* appellant, poteram ego verbum ipsum interpretans *morbos* appellare, sed non conveniret ad omnia .... Sed illi dicunt *πάθος*, sit igitur *perturbatio.* Tusc. 3, 4, 7: reliquae perturbationes ...... fere eiusmodi sunt, quae Graeci *πάθη* appellant; ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo, sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri, gestire, laetari .... haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi rationi non obtemperantes: nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non satis usitate. Tusc. 3, 10, 23: hoc propemodum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant: vocant enim *πάθος*, id est morbum, quicunque est motus in animo turbidus: n o s m e l i u s. ibd. 4, 5, 10: „Quae Graeci *πάθη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos.“ At nemini potest esse dubium, quin vehementer

hic erraverit Cicero; neque enim *πάθος* verbum e verbo est morbus, quod v. certe non ad omnia conveniret, neque v. „perturbationes“ rem melius significat, quam *πάθος*. Id enim ductum est a *πάσχειν* et quidem ea vi philosophiae propria, quam Cicero ipse supra recte tribuerat vocabulo *πάσχω*. Itaque recte posteriores philosophi *πάθη* verbum ex verbo appellaverunt passiones, quamquam Ciceronis quoque interpretationes interdum apud eos inveniuntur. Praeter v. „animi perturbationes“ alia quoque vocabula Cicero, ut erat eius consuetudo, varietatis causa adhibuit. Tusc. 4, 6, 11: est Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod *πάθος* illi dicunt, aversa a recta ratione (= *ἄλογος*) contra naturam animi c o m m o t i o; off 2, 5, 18: cohibere *motus* animi *turbatos.* Tusc. 4, 15, 34: *turbidi animorum concitatique motus.* Ac. pr. 2, 44, 135 eas appellat *permotiones*; cf. 46, 142.

Cum *πάθη* etiam ad oratoriam vim multum valeant, etiam in libris rhetoricis saepe de eis loquitur. Sed neminem fugere potest, multo frequentius hic eum uti v. *motus*, quod certe hoc in genere erat aptius; ita or. part. 21, 71. 23, 76. 79; perturbationes: Brut. 80, 278; or. 34, 118; duo verba coniuncta: Top. 16, 62. 64. or. part. 12, 43.

Ex perturbationibus, ut ait Cicero Tusc. 4, 10, 23 primum *morbi* conficiuntur, quae vocant illi *νοσήματα*, deinde *aegrotationes*, quae appellantur a Stoicis *ἀρρωστήματα*. ibd. 13, 28: quomodo in corpore est morbus; est aegrotatio, est vitium, sic in animo; 29: vitiositas est habitus (*ἕξις*) aut affectio (*διάθεσις*) in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens .... morbi autem et aegrotationes partes sunt vitiositatis; 15, 34: virtuti contraria est vitiositas, sic enim malo, quam malitiam appellare eam, quam Graeci *κακίαν* appellant. cf. fin. 3, 11, 39: quas Graeci *κακίας* appellant, vitia malo, quam malitias nominare. Deinceps aliquas animi affectiones, quas Cicero ex Graeco interpretatus est, videamus. Inter morbos enumerat: „*mulierositatem*, ut ita appellem eam, quae Graece *φιλογύνεια* dicitur.“ Tusc. 4, 11, 25. ibd. „odium mulierum“ *μισογύνεια*. ibd. 4, 6, 14 *συστολὴν τῆς ψυχῆς* interpretatur: „*animi* adversante ratione *contractionem*“; ibd. v. contrahere; ibd. varietatis causa dicit: „*recessus* quidam animi et fuga“; ibd. 6, 13: „declinatio cum ratione (*εὔλογος ἔκκλισις*) cautio appelletur“;

Tusc. 4, 8, 18: obtrectatio est ea, quam intellegi *ζηλοτυπίαν* volo. Ibd. 7, 16: ut *malevolentia* sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo (*ἐπιχαιρεκακία*); ibd. *excandescentia* ira nascens et modo existens, quae *θύμωσις* Graece dicitur. Tusc. 3, 5, 11: Graeci *μανίαν* unde appellent, non facile dixerim, eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam ille. Hanc enim ipsam, quae iuncta stultitiae patet latius, a furore disiungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, *μελαγχολίαν* illi vocant.

Perturbationibus contraria est securitas. fin. 5, 8, 23: Democriti *securitas,* quae est *animi tamquam tranquillitas,* quam appellavit *εὐθυμίαν*. cf. fin. 5, 29, 87: Ille summum bonum *εὐθυμίαν* et saepe *ἀθαμβίαν* appellat, id est *animum a terrore liberum.* Cui similis est *ἀπάθεια,* quod v. nomine subst. non potuit Latine vertere Ac. pr. 2, 42, 130: „Pyrrho ea ne sentire quidem sapientem, quae *ἀπάθεια* nominatur."

Hac vero in animi tranquillitate positam esse dicit *εὐδαιμονίαν*. fin. 5, 8, 23: ista animi tranquillitas ipsa est beata. Uno loco n. d. 1, 34, 95 Cicero ausus est uti verbo inaudito: *beatitas* et *beatitudo,* sed cum mira anxietate: „beatitas sive beatitudo dicenda est .... utrumque omnino durum, sed usu mollienda verba sunt." In prioribus libris uti solet circuitionibus, ut *„beata vita"* fin. 5, 5, 12. 9, 25. 21, 58. 28, 83. Tusc. 5, 5, 13. 14 et multis aliis l.; *ad beate vivendum* Tusc. 5, 19, 71 et saepius; *„beatum"* simpliciter: Tusc. 5, 15, 45. fin. 5, 28, 84. Mirum non est propter brevitatem a posterioribus philosophis illud verbum esse receptum, quod ille ipse durum indicaverat.

Inter virtutes ea praecipue, quam philosophi Graeci appellabant *σωφροσύνην*, nullo verbo Latino exprimi potuit, quod omnino idem valeret. De ea re locus gravissimus est: Tusc. 3, 8, 16: „qui sit *temperans,* quem Graeci *σώφρονα* appellant eamque virtutem *σωφροσύνην* vocant, quam soleo equidem tum *temperantiam* tum *moderationem* appellare, nonnunquam etiam *modestiam,* sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius apud Graecos valet, qui frugi homines *χρησίμους* appellant, id est tantummodo utiles, at illud est latius: omnis enim *abstinentia,* omnis *innocentia,* quae apud Graecos usitatum nullum habet, sed

habere potest *ἀβλάβειαν* (verbum ex v.), reliquas virtutes etiam frugalitas continet." Ita modo hoc, modo illo verbo utitur, plerumque duo vel plura coniungit; cf. off. 3, 26, 96. 33, 116. fin. 1, 14, 47. 5, 23, 67. Tusc. 2, 13, 31. Aliam vim habet v. modestia off. 1, 40, 142: ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum ...... Tempus autem actionis opportunum Graece *εὐκαιρία*, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum (cf. fin. 3, 14, 45: opportunitas, sic enim appellemus *εὐκαιρίαν*).

Restat, ut pauca verba colligamus, quae ad certum aliquod huius partis genus non potuerunt referri. *Ἀρετὴν πρακτικὴν* v. c. v. transtulit: *virtus actuosa* n. d. 1, 40, 110; *οἰκεῖον* Ac. pr. 2, 12, 38: quod *accommodatum ad naturam* appareat, Graeci id *οἰκ.* appellant; *οἰκείωσις*: *commendatio* fin. 2, 12, 35; 5, 14, 40. 16, 46; *οἰκειοῦν*: *conciliari* et commendari fin. 3, 5, 16; *ὁμολογία*: „quod *ὁμολογίαν* Stoici, nos appellemus *convenientiam,* si placet" fin. 3, 6, 21. cf. 14, 45. 46. n. d. 2, 21, 54; div. 2, 34, 124. Lael. 27, 100. off. 1, 4, 14 aliisq. l.; *ἰσονομία*: „hanc *ἰσονομίαν* appellat Epicurus, id est *aequalem tributionem*"; n. d. 1, 19, 50; uno verbo conatur transferre ib. 39, 109: *aequilibritatem,* sic enim si placet, appellemus.

Cap. III. Politica.

Cum in rebus civilibus Romani aliis gentibus pauca deberent, mirum non est raro eos necessitate coactos esse verba aliena aut in suam linguam recipere aut novis domesticis transferre; imo vero hoc in genere haud pauca verba Latina posterioribus temporibus in linguam Graecam sunt recepta. Tamen cum Graeci primi de rebus publicis libros conscriberent, nonnullo verba in hoc quoque genere ex lingua Graeca assumpta, alia Latinis con-

versa sunt. Platonis *πολιτείαν* div. 1, 29, 60. 2, 27, 59 „politiam“ appellat, ut nonnunquam librorum titulos Graecis verbis nominat, quae aliis locis non reperiuntur, velut Oecon. Xenoph., sympos., Top. V. „politicus“, Att. 9, 4: „*θέσεις*, quae politicae sunt“, et de or. 3, 28, 109: „a Graecis politici philosophi vocantur“; aliis omnibus locis id v. interpretatur, plerumque verbo *„civilis“*, vel *„publicus“*. De or. 3, 28, 109: civilis oratio (= *πολιτικός*), ibid. 3, 32, 127: quae de hominum moribus (= *ἠθικά*), quae de rebus publicis dicerentur; cf. leg. 3, 6, 14; fin. 4, 2, 5; fin. 5, 23, 66: quiddam ingenitum quasi civile atque populare, quod Graeci *πολιτικὸν* vocant. Prorsus aliam vim habet v. *populariter* fin. 5, 5, 12: unum populariter scriptum, quod *ἐξωτερικὸν* appellabant, alterum limatius (*ἐξ.* significat: „ad communem populi intellegentiam accommodatum“ cf. or. 33, 117).

Δῆμος Atticae: fin. 5, 1, 3: Coloneus ille *vicus*.

Reipublicae formas, quae a posterioribus scriptoribus, ut a nobis hodie, Graecis nominibus sunt appellatae, Cicero praeter tyrannidem omnes semper Latinis verbis interpretatur. Sed illud quoque verbum saepe Latine vertit, etsi Graecum iamdiu erat usitatum. Ita *„regia dominatio“* Verr. 5, 68, 175; Planc. 25, 60; Sull. 8, 25 *regium* videtur; ibd. 17, 48 et Phil. 2, 36, 91 *regnum*; Catil. 1, 12, 30: *crudeliter et regie;* leg. agr. 2, 13, 33 intolerantiam regum; Rabir. perd. 3, 10 crudelitas regia; rep. 2, 26, 47: „hic est enim dominus, quem Graeci tyrannum vocant“; cf. ib. 48. 49. Hiero certo a Graecis nunquam *βασιλεύς*, sed *τύραννος* vocatus est, apud Ciceronem semper appellatur rex.; cf. Verr. 4, 12, 29. *Μοναρχία* appellatur *„regale genus civitatis“* leg. 3, 7, 15; rep. 2, 23, 43: tribus generibus illis, regali et optimati (*ὀλιγαρχία*) et populari (*δημοκρατία*): haec genera significat rep. 1, 26, 42: (consilium) „aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus; cum penes unum est omnium summa rerum, *regnum* eius reipublicae statum (vocamus); cum autem est penes delectos, tum illa civitas *optimatum arbitrio regi* dicitur (*ἀριστοκρατία*); illa autem est *civitas popularis* — sic enim appellant, — in qua in populo sunt omnia“; ibd. 27, 43 secundum genus appellatur *optimatium dominatus*; 28, 44: *paucorum et principum administratio civitatis;* tertium genus: Athe-

niensium *populi potestatem* omnium rerum ad furorem multitudinis licentiamque (*ὀχλοκρατία*) conversam; ibd. 31, 47: „in *libero populo*, ut Rhodi, ut Athenis“; paulo aliter ibd. 32, 48: et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri, aut potestatem atque opes optimatium; 45, 69: ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio.

Στρατηγίαν Periclis et Sophoclis off. 1, 40, 144 optime interpretatus est Cicero verbo, *„praeturae“*, veterem huius verbi vim repetendo; *στρατήγημα* n. d 3, 6, 15: *consilium illud imperatorium*, quod Graeci *στρατήγημα* appellant.

Ad res publicas etiam pertinet *ἀμνηστία*, quam Phil. 1, 1, 1 appellat *oblivionem sempiternam.*

Cap. IV. Grammatica.

Haec litterarum disciplina iam pridem apud Romanos vigebat atque etiam apud principes civitatis magno in honore erat; itaque plurima nomina, quae ad grammaticam pertinent, multo ante Ciceronem Latinis nominibus erant conversa. V. philologiae apud Cic. reperitur semel: Att. 2, 17, 1 (philologus: Q. fr. 2, 10, 3; Att. 13, 12, 3); sed huius verbi vis multo latius apud eum patet, quoniam universe bonarum artium studium atque intellegentiam significat; quem nos hodie appellamus philologum, Romani nominaverunt *grammaticum:* cf. Pis. 30, 73; de or. 1, 3, 10. 10, 44. 42, 187; Tusc. 2, 4, 12; ita: *grammatica*, orum (= philologia) de or. 1, 41, 187. Tamen hoc quoque verbum, quod dudum in linguam Latinam erat receptum, interdum interpretatus est, ut, div. 1, 18, 34: grammatici vocantur *poëtarum interpretes;* 51, 116: *poëtarum explanatores;* cf. de or. 1, 42, 187: in grammaticis poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus.

Ἐτυμολογίαν verbum ex verbo conatus est interpretari Top. 8, 35: quam Graeci ἐτ. vocant, id est verbum e verbo *veriloquium*, nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes genus hoc *notationem* appellamus, quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles *σύμβολον* appellavit, quod Latine est *nota*. Sed cum intellegitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. cf. ibd. 9, 38; clarius eam convertit Ac. post. 1, 8, 32: verborum explicationem, quam *ἐτυμολογίαν* appellabant.

Nomina grammatica: *casus, tempora, genera, numeri* verbum ex verbo sunt translata, sed iam ante Ciceronem inveniuntur, quare sine excusatione semper usurpantur, ut de or. 2, 12, 46. Top. 7, 30; *πλατειασμὸν* interpretatus est de or. 2, 22, 91: *verborum latitudo*: cf. 3, 11, 42. 12, 45 *vaste* (pronuntiare); 12, 46: tu *illa lata* imitaris; *„verba exiliter exanimata“* v. ex v. *ψιλῶς ἐκπνευσθέντα* de or. 3, 11, 41. *Ἐλεγεῖον* = *versus alterni* Arch. 10, 25; cf. de or. 3, 50, 193: pedes aut choreos aut heroos aut *alternos; ἀκροστιχίς*: div. 2, 54, 110: ea quae ἀκ. dicitur, cum deinceps ex primis versuum litteris aliquid conectitur.

Χορὸν tragoediae Latine convertit: *caterva atque concentus*: Sext. 55, 118; de or. 3, 55, 196; quamquam verbum Graecum significatione translata saepius apud eum reperitur ut „ch. philosophorum“ fin. 1, 8, 26; „ch. virtutum“ Tusc. 5, 5, 13. cf. off. 3, 33, 116.

Cap. V.

Haec quoniam exposuimus de eis verbis, quae ad certum quoddam genus potuerunt referri, restat ut pauca verba singula colligamus et ordine componamus.

agrestiores musae = *ἄγροικοι μ.* or. 3, 12;

agripeta novavit Cicero ut interpretaretur v. Gr. *κληροῦχος* Att. 15, 29, 3. 16, 1, 2. n. d. 1, 26, 72; sed posteriores scriptores hoc vocabulum non receperunt.

arx saepe idem valet quod *ἄσυλον* (quamquam, ut supra dixi, v. „asylum“ quoque reperitur apud Cic., sed tantum vi propria):

Verr. 5, 48, 126: hic locus est unus, quo perfugiant, hic *portus*, haec *arx*, haec *ara*; ibd. 72, 184: arx omnium nationum; Sest. 39, 85: aede Castoris tamquam arce aliqua a fugitivis occupata; Sull. 11, 33: arcem regum ac nationum exterarum; ib. 28, 79: arx bonorum, perfugia improborum; cf. Cat. 4, 6, 11; simili significatione: Caecin. 34: perfugium portusque.

caelatum argentum = toreumata Verr. 4, 19, 41; sed saepe etiam v. Graecum usurpat.

compotatio et concenatio: his verbis Cicero transfert *συμπόσιον* et *σύνδειπνον*, ut quanto „sapientius“ Romani ea convivia appellaverint, ostendat: Cat. M. 13, 45; fam. 9, 24, 3.

curia = *βουλευτήριον* Syracusanum: Verr. 2, 21, 50

facete dicta = *ἀποφθέγματα*: off. 1, 29, 104.

v. *fides, ium* et ipsum quidem non est origine Latinum, sed Graecum, sed certe ab omnibus pro Latino est habitum atque ex antiquissimis temporibus in linguam Lat. receptum; hoc verbo Cic. semper convertit v. citharae, quod apud Cic. nunquam reperitur, etsi v. *citharista* et *citharoedus* non poterant vitari; neque v. „lyra“ invenitur nisi Tusc. 1, 2, 4, ubi de rebus Graecis loquitur, v. „lyricus“ nunquam est usus.

flexiones in cantu = *καμπαί* de or. 3, 25, 98;

imago = *ἠχώ* Tusc. 3, 2, 3.

lapicidina pro v. „latumiae“ etiam apud Cic. usitatissimo: div. 1, 13, 23. 2, 21, 49.

legatio: de opt. gen. 7, 21: quod legationem ementitus esset = *παραπρεσβείας*.

magister = *παιδαγωγός*: Tusc. 3, 1, 2. 27, 64.

medicamenta = *φάρμακα* or. 23, 79.

mercatus: *πανήγυρις* Tusc. 5, 3, 9.

navis oneraria maxima (pro cybaea, quod verbum et ipsum Cic. usurpat, praecipue varietatis causa): Verr. 4, 8, 17. 9, 19. 67, 150. 5, 52, 136.

Terentianus ipse se poeniens Tusc. 3, 27, 65; ita T. Heautontimorumenon convertisse videtur, quia titulum Graecum nimis durum putabat.

nota: off. 2, 7, 15: compunctum notis Thraciis (notatus ipse ibd. appellatur stigmatias).

praedo piratam significat Flacc. 6, 14; in Verr. semper utitur v. Graeco.

redamare: hoc. v. Cic. primus ausus esse videtur Lael. 49: vel ut ita dicam, redamare (ἀντιφιλεῖν).

regia = basilica Caec. 5, 14.

renovatio: hoc v. Att. 6, 1, 5 ausus est fabricari pro anatocismo, quod v. saepius apud eundem reperitur (cf. p. I ep. ad. Att.).

sessio = exedra: fin. 5, 1, 2. de or. 2, 5, 20 (v. Graecum assumpsit de or. 3, 5, 17; fin. 5, 4. n. d. 1, 15).

solarium vel discriptum vel *ex aqua*: n.d. 2, 34, 87 (v. „solarium ex aqua" audacius interpretatus est clepsydram).

unigena = μονογενής (ap. Platonem) Tim. 4.

vita et disciplina Cyri = Κύρου παιδεία: Brut. 29, 112 (cf. quae supra diximus de fabulae Terentianae titulo).

Conclusio.

Quoniam, quae verba peregrina Cicero in singulis libris assumpserit in linguam Latinam atque in singulis literarum generibus Latine studuerit convertere, cognovimus, restat, ut quaestionem universam paucis verbis complectamur. Ac primum quidem facile possumus colligere omnia prope vocabula in linguam Latinam recepta esse nomina substantiva, quorum maxima pars significat res ad vitae usum pertinentes a Graecis ascitas; cum rebus enim novis nova introducta sunt rerum nomina, quorum loco alia non suppetebant. Ea permulta iam antiquissimis temporibus in sermonem Latinum sunt recepta, ut nomina nonnullarum bestiarum, quae Romanis antea erant incognitae. Arborum nomina pleraque sunt Latina, sed admodum pauca florum genera propriis vocabulis appellantur, omnia prope Graecis. Imprimis vero omnes fere res, quae ad elegantiorem vitae cultum pertinent, a Graecis sunt assumptae, id quod priscae Romanorum simplicitatis et continentiae luculentissimum est exemplum; itaque eiusmodi verba plurima reperiuntur in orationibus Verrinis et Antonianis ac Pisoniana, quibus adversarium Graeculos imitantem perstringit.

Praecipue in architectura omnia prope nomina sunt Graeca origine, et quia Ciceronis maxime temporibus eo in genere luxuria augebatur, mirum non est plurima vocabula apud Ciceronem primum inveniri. In re navali autem perpauca quidem verba origine sunt Latina, sed longe plurima tam vetustis temporibus ex lingua Graeca sunt ascita, ut forma ad Latinorum vocabulorum consuetudinem inflexa ab omnibus pro domesticis haberentur. In mercatura quoque, ut in cunctis vitae generibus, quaecunque aliena sunt a prisca serveritate, Graecis debentur (cf. anatocismus, collybus, syngrapha, chirographum).

Plurimum vero Romani Graecis debent in eis artibus, quae ad politiorem humanitatem spectant; ipsi enim, quae erat eorum natura, ne eas quidem disciplinas, quas a moribus suis alienas non esse arbitrarentur, arte ac ratione colebant. Ars scaenica tota pendet a Graecis ac similiter res se habet in arte poëtica; nam etsi verba *„vates"* et *„carmen"*, quae origine sunt Latina, priscos Romanos non omni poësi prorsus caruisse testantur, tamen eam fuisse exilem constat ac maximam partem coniunctam cum vaticiniis et superstitionibus. Aliquanto post grammaticam, de qua supra diximus, rhetorica Graeca Romam translata est, cum Romani, quam artem pridem se usu percepisse sibi viderentur, eam ratione ac via discere diu putarent se posse supersedere. Admodum pauca verba Cicero in hac arte a Graecis assumpsit, plurima Latine interpretatus est aut Cornificii verba approbando, quod in libris de inventione potissimum eum fecisse vidimus, aut nova transferendo vel fabricando. Quod multo magis valet in philosophia. Cum enim haec disciplina universa esset Graecorum ob eamque rem diu a plurimis civium Romanorum despiceretur, Latine quoque de ea re copiose atque ornate posse scribi Cicero studuit demonstrare. Quare summa diligentia vidimus eum esse enisum, ut sermonis Latini sinceritatem et elegantiam servaret. Ex verbis Graecis ad philosophiam pertinentibus ea tantum assumpsit, quae iamdudum essent usitatissima (cf. fin. 3, 2, 5. off. 1, 1), atque etiam haec ipsa saepe Latine interpretatus est, ut sermonem patrium augeret. Multo saepius verba iam usitata in alienam significationem transtulit vel, ut ipse ait, „quasi in alieno loco collocavit", quam nova fabricatus est; hoc

enim nunquam fecit nisi summa cum timiditate multis excusationibus haud raro adiunctis. Praeterea cum non tam philosophiae subtilitatem spectaret in verbis Graecis convertendis, quam oratoriam elegantiam ac suavitatem, haud raro vocabulum Graecum non satis accurate transtulit, saepissime eandem rem modo hoc modo illo vocabulo appellavit, quod oratorum, sed nequaquam philosophorum est; ob eam ipsam causam persaepe unum vocabulum Graecum non uno Latino interpretatus est sed pluribus magis explicavit et explanavit, quam convertit. Neque tamen neglegendum est in posterioribus libris multum eum profecisse in verbis Graecis interpretandis, atque ea ipsa verba, quae rem accuratius indicant, sed magis aliena sunt a dicendi consuetudine Ciceronis ideoque timidius ab eo novata, a posterioribus autem recepta sunt, omnia fere inveniuntur in posterioribus libris. Sed quamquam haud ita multa sunt verba nova, quae posteriorum temporum philosophia a Cicerone assumpsit, tamen de scribendi genere ad philosophiam accommodando optime eum meruisse nemo est qui neget. Ille enim primus apte ornate eleganterque de philosophia scripsit ac dignus est, qui a Quintiliano „elegantissimi ac purissimi sermonis auctor" praedicetur.

Addenda ad priorem partem.

p. 11, l. 9 s.: Qt. 25, 80: eiusmodi nuntios, seu potius Pegasos.
„ 14, l. 4 s.: Verr. 4, 3, 5: canephorus.
„ 23, l. 4 s.: Phil. 2, 36, 90: Bambalio (cognomen Fulvii).
„ 23, l. 20 s.: Phil. 13, 12, 26: corycomachia.
„ 27, l. 3 s.: fam. 15, 1, 2: phylarchus.
„ 28, l. 8 s.: Att. 1, 20, 1: pragmaticus.
„ 28, l. 13 s.: Att. 2, 9, 1: tetrarches.
„ 28, l. 4 i.: Att. 4, 4, 10: laconicum
„ 28, l. 2 i.: Att. 5, 20, 2: pylae.
„ 29, l. 17 i.: Att. 10, 8, 1: zelotypia (Graece Tusc. 4, 8, 18).
„ 29, l. 10 i.: Att. 13, 21: nauticus.
„ 34, l. 10 s.: de or. 2, 38, 159: statera
„ 43, l. 12 s.: de rep. 2, 10: olympias.
„ 52, l. 18 i.: n. d. 2, 43, 111: hyades.
„ 52, l. 12 i.: n. d. 3, 17, 44 genealogus.
„ 56, l. 14 s.: phatne: fragm. 6. Prisc. II, 105, 9 K.